PHARMACOPŒA GERMANICA.

BEROLINI
APUD RUDOLPHUM DE DECKER.

MDCCCLXXII.

BEKANNTMACHUNG,

BETREFFEND DIE

PHARMACOPŒA GERMANICA.

VOM 1. JUNI 1872.

Auf Grund eines vom Bundesrathe in seiner Sitzung vom 22. Mai dieses Jahres gefassten Beschlusses wird hierdurch bekannt gemacht, dass das Arzneibuch, welches unter dem Titel „*Pharmacopoea Germanica*" von einer durch den Bundesrath eingesetzten Commission festgestellt und in dem Verlage der Königlich Preussischen Geheimen Ober-Hofbuchdruckerei (R. von Decker) zu Berlin

erschienen ist, mit dem 1. November dieses Jahres an die Stelle der in den einzelnen Bundesstaaten geltenden Pharmacopöen tritt.

Berlin, den 1. Juni 1872.

Der Reichskanzler.

In Vertretung:

gez. Delbrück.

PRAEFATIO.

Quum jam dudum opus esse videretur pharmacopoea, quae per universam Germaniam valeret, multorum monitu pharmacopolarum societates, quarum altera per Septentrionalem, altera per Meridionalem Germaniam viget, codicem medicamentarium collegerunt, qui anno 1867 titulo Pharmacopoeae Germaniae editione emendata in lucem prodiit summisque Germanicarum civitatum Ministeriis traditus est, quem examinarent, et si videretur, publici juris facerent.

Deinde vero Foedere Germaniae Septentrionalis constituto, qui in civitate Megalopolitana-Suerinensi rebus praesunt quum de communi pharmacopoea instauranda ad Concilium Foederis tulissent, deliberata re, die XIX m. Decembris a. 1868 decretum est, ut medici pharmacopolaeque deligerentur, qui pharmacopoeae conscribendae operam darent. Qui quum die XXVIII m. Maji a. 1869 convenissent, pharmacopoeam quidem tam Borussicam, quam

Germaniae sequendam esse rati, praeterea tamen de medicaminibus, quae ac qualia in pharmacopoeam recipienda essent, per universos fines Foederis Germaniae Septentrionalis sententias exquirere statuerunt omnium, tam medicorum, quam pharmacopolarum, quicumque aliquo essent numero atque auctoritate. Quae quidem res, ob motus bellicos intermissa, Imperio Germanico instaurato, iterum tractari coepta est.

Ex decreto igitur Concilii Foederis, die XXIX m. Aprilis 1871 emisso, denuo delecti sunt, qui pharmacopoeam conficerent: ad hos praeterea e Germania Meridionali accesserunt, quibus idem negotium commissum erat. Itaque Septembri mense anni 1871 illam rem aggressi atque ex omnibus Germaniae partibus viros spectatae doctrinae adhibentes, qui earum rerum peritissimi existimarentur, ejusdem anni mense Decembri mandata perfecerunt.

Iam igitur apparet, hanc pharmacopoeam recognitam proprie novam non esse; neque tamen id omnino agebatur. Hoc potius faciendum erat, ut praecepta codicum medicamentariorum critica quadam ratione colligerentur, pharmacopoeae tam Borussica quam Germaniae reficerentur, non neglectis, quae per Germaniam Meridionalem valent.

Praeterea vero amplificata est descriptis multis medicaminibus atque praeparatis, quae praeclara remedia ars medica nuper probavit. Latinum denique sermonem, et quia ubique intelligitur, et quod medici praecepta sua latine perscribere consuerunt, retinendum esse putavimus.

Quum etiam hoc esset dijudicandum, quae medicamina omnino in pharmacopoeam recipienda essent, ad omnia quantum fieri poterat, respeximus, quae ex diversis Germaniae partibus aut monita erant aut desiderata.

Quae nostra pharmacopoea continentur, hoc saltem tempore Germaniae pharmacopolis, quaecumque opus fuerint, suppeditabunt. Medicamentorum vero, quum tanta sit copia tantaque varietas, faciendum non erat, ut pharmacopolae omnia asservare cogerentur, quae in pharmacopoea describuntur medicamina sive simplicia sive praeparata. Itaque quae ac qualia medicamina apud pharmacopolas debeant prostare, certis finibus circumscribi nequit: singulae potius civitates pro diversis singularum regionum necessitatibus hanc rem dijudicabunt.

Quod attinet ad formam dispositionemque hujus pharmacopoeae, priores ejusdem generis libros secuti auctores ordinem alphabeticum retinuerunt,

plerumque etiam solita nomina eorum medicaminum, quae ex plantis parantur. Contra ea, quod est ad medicamenta vel simplicia vel praeparata, quae chemica arte praestantur, illis potissimum nominibus uti visum est, quae dudum et apud medicos pharmacopolasque usurpantur et in libris, quibus rationes medendi atque remedia traduntur.

Tituli vero singulis libri capitibus inscripti praeter uniuscujusque medicaminis nomen Germanicum ea quoque synonyma exhibent, quae alicujus momenti videbantur esse.

Ubi de medicaminibus simplicibus agitur, quae ex plantis sive animalibus parantur, brevissime quidem, sed quam accuratissime indicatum est, et quae cujusque propria sint et quo anni tempore vernaculae plantae, pharmacopolis necessariae, colligendae sint.

Atque plurima quidem praeparata chemica, quum melius rectiusque in amplioribus officinis chemicis conficiantur, pharmacopolisque aut inde ea sibi comparare aut apud mercatores emere liceat, de quibusdam tantum praeparatis chemicis nostra pharmacopoea praeceptum est, qua ratione conficienda sint, nimirum de iis, quorum compositio chemica secundum aliam praeparandi rationem alia efficitur.

Pharmacopolae autem quum bonitatem atque sinceritatem omnium medicaminum, quae asservantur, suo periculo praestare debeant, eae methodi breviter enarrantur, quibus chemicalia singula exploranda sunt, ut puritas integritasque eorum plane probetur.

Ad hunc finem pharmacopoeae index additus est reagentium simulque notatum, quae ac quanta singulorum reagentium concentratio esse debeat, ut explorationes recte instituantur.

In fine libri hae denique tabellae sequuntur.

I. Tabula **A.** medicamentorum, quibus major quaedam vis est atque effectus, doses exhibens maximas, et simplicem dosin maximam indicat, et quam intra 24 horas omnino adhibere liceat.

II. Tabulis **B.** et **C.** medicamenta enarrantur, prae ceteris caute asservanda atque secludenda, nimirum ea quae vulgo venena dicuntur et quae majore vi atque effectu praedita sunt.

III. Sequens tabula pondera exhibet specifica medicaminum liquidorum. Temperaturam vero, qua illa pondera constituenda sunt, 15 graduum thermometri Celsiani esse voluimus; quovis enim anni tempore, qui-

cumque liquores explorandi fuerint, facillime illo calore affici poterunt.

IV. Alcoholis describuntur pondera specifica simulque notatur, quot gradus in explorando legitimum araeometrum indicare debeat.

Tabula ab initio libri typis expressa pondera atomica, quae vocantur, exhibet eorum elementorum, quae in ipsa pharmacopoea chemicis formulis perscripta sunt.

Ponderum vero, quibus in pharmacopolarum officinis utendum est, peculiarem tabulam addere supersedimus, quum illa per universum Imperium Germanicum lege statuta sint.

Adduntur denique, quo facilius inveniantur singula, quae hoc libro tractata sunt, duo indices accuratissimi, quorum alter Germanica, alter Latina medicaminum vocabula exhibet.

Berolini, mense Maio MDCCCLXXII.

Interpretatio literarum chemiae stoechiometricae, quae in scriptione pharmacopoeae adhibitae sunt, et pondera atomorum chemicarum.

	Litera.	Pondus.
Aluminium	Al	27,4
Argentum	Ag	108,0
Arsenium	As	75,0
Aurum	Au	197,0
Baryum	Ba	137,0
Bismuthum	Bi	210,0
Bromum	Br	80,0
Calcium	Ca	40,0
Carboneum	C	12,0
Chlorum	Cl	35,5
Chromium	Cr	52,0
Cuprum	Cu	63,5
Ferrum	Fe	56,0
Hydrargyrum	Hg	200,0
Hydrogenium	H	1,0
Iodum	I	127,0
Kalium	K	39,0
Lithium	Li	7,0
Magnesium	Mg	24,0
Manganum	Mn	55,0
Natrium	Na	23,0
Nitrogenium	N	14,0
Oxygenium	O	16,0

	Litera.	Pondus.
Phosphorus	P	31,0
Plumbum	Pb	207,0
Stannum	Sn	118,0
Stibium	Sb	122,0
Sulfur	S	32,0
Zincum	Zn	65,0

Mensuris nunquam, sed semper ponderibus liquorum quantitas indicanda et determinanda est.

EMENDANDA.

Pag. 146. Loco Bayera ponatur: Brayera

» 148, linea decima ab ultima loco quinqueloba ponatur quinquelobo

» 213, linea quinta ab ultima deleatur: evaporando

» 300, linea octava a prima ante vix ponatur saporis

» 405 addatur: Cold-Cream 370

» 407 deleatur: Gold-Cream 370

Acetum.

Essig.

Acetum crudum. Acetum Vini.

Liquor limpidus, coloris expers aut paullum subflavus, odoris et saporis mere acidi. Sit tantae aciditatis, ut partes viginti sufficiant ad partem unam natri carbonici ab aqua liberati saturandam.

Cave ne acidum sulfuricum liberum neve alia acida contineat.

Acetum aromaticum.

Aromatischer Essig.

R.	**Olei Rosmarini,**	1.
	Olei Juniperi, ...	1.
	Olei Citri, singulorum *partem unam,*	1.
	Olei Thymi *partes duas,*	2.
	Olei Caryophyllorum *partes quinque,*	5.
	Tincturae Cinnamomi *partes centum,*	100.
	Tincturae aromaticae *partes quinquaginta,* .	50.
	Acidi acetici diluti *partes ducentas,*	200.
	Aquae destillatae *partes mille.*	1000.

Mixtae stent loco frigido per dies tres, tum filtrentur.

Sit liquor limpidus, coloris e rubro fuscescentis, odoris grate acidi, aromatici.

Acetum Colchici.

Zeitlosenessig.

R. **Seminis Colchici** contusi, ... 1.
Spiritus, singulorum *partem unam*, ... 1.
Aceti puri *partes novem*. . . . . 9.

Digere per dies octo, tum exprime et filtra.
Sit limpidum, subflavum.
Caute servetur.

Acetum Digitalis.

Fingerhutessig.

R. **Foliorum Digitalis** concisorum, ... 1.
Spiritus, singulorum *partem unam*, ... 1.
Aceti puri *partes novem*. . . . . 9.

Macera per octo dies, tum exprime et filtra.
Sit limpidum, coloris rubentis.
Caute servetur.

Acetum purum.

Reiner Essig.

Acetum destillatum.

R. **Acidi acetici diluti** *partem unam*, ... 1.
Aquae destillatae *partes quatuor*. . . . . 4.

Misce.

Sit limpidum, coloris expers, saporis et odoris mere acidi. *Centum partes* contineant *partes sex* acidi acetici, ut *partes viginti* ad *partem unam* natri carbonici ab aqua liberati saturandam sufficiant.

Acetum pyrolignosum crudum.

Roher Holzessig.

Liquor subfuscus vel fuscus, odoris empyreumatici, acidum aceticum continens. *Partes viginti* sufficiant ad perfectam saturationem *partis unius* natri carbonici ab aqua liberati.

Acetum pyrolignosum rectificatum.

Rectificirter Holzessig.

Acetum pyrolignosum crudum retortae vitreae immissum destillet, donec e partibus decem *partes octo* elicitae fuerint.

Sit liquor limpidus, coloris expers, aut subflavus, aut paullum modo subfuscus, odoris empyreumatici et saporis empyreumatici acidi.

In vasis bene clausis servetur.

Acetum Rubi Idaei.

Himbeeressig.

R. **Syrupi Rubi Idaei** *partem unam*, ... 1.
Aceti puri *partes duas*. . . . . 2.

Misceantur.

Nonnisi ad dispensationem paretur.

Acetum Scillae.

Meerzwiebelessig.

Acetum scilliticum.

R. **Bulbi Scillae** siccati, minutim concisi, ... 1.
Spiritus, singulorum *partem unam*, ... 1.
Aceti puri *partes novem*. . . . . 9.

Macera per dies tres, saepius agitando, tum leniter exprime et filtra.

Sit liquor limpidus, subflavus.

In vasis bene clausis servetur.

Acidum aceticum.

Essigsäure.

Acidum aceticum concentratum.

Acetum glaciale.

Liquor limpidus, coloris expers, odoris pungentis acidi, calore 0° superante in massam crystallinam abiens, quae calore 16° denuo liquescit, calore 118° ebulliens, totus avolans. *Partes decem* solvant *partem unam* olei citri.

Color ruber e nonnullis guttis kali hypermanganici soluti admixtis ortus ne mutetur; aquae destillatae partibus viginti dilutum aut baryo chlorato aut argento nitrico aut aqua hydrosulfurata ne turbetur.

In vasis epistomio vitreo munitis servetur.

Acidum aceticum aromaticum.

Gewürzhafte Essigsäure.

R. **Olei Caryophyllorum** *partes novem,* . . . . 9.
Olei Lavandulae, ... 6.
Olei Citri, singulorum *partes sex,* . . . . 6.
Olei Bergamottae, ... 3.
Olei Thymi, singulorum *partes tres,* . . . . 3.
Olei Cinnamomi Cassiae *partem unam.* . . . . . . 1.
Conquassando solvantur in
Acidi acetici *partibus viginti quinque.* . . . . 25.
Sit liquor limpidus, coloris e flavo subfusci.

Acidum aceticum dilutum.

Verdünnte Essigsäure.

Acetum concentratum.

Liquor limpidus, coloris expers, saporis peracidi, odoris excitantis acidi, neutiquam empyreumatici, ponderis specifici 1,040. *Partes mille* ad *partes ducentas sexaginta quinque* (265) natri carbonici ab aqua liberati saturandas sufficiant, quod partibus triginta acidi acetici in centum partibus respondet.

Ad reagentia ut acidum aceticum se habeat.

Acidum arsenicosum.

Arsenige Säure.

Weisser Arsenik. Arsenicum album.

Ad usum medicum in frustis albidis, plus minusve opacis, non pulveratum, praesto sit et adhibeatur.

Sit calore fortiore ad instar fumi albi totum avolans, in aqua haud facile et sine residuo solubile.

Cautissime servetur.

Acidum benzoicum.

Sublimirte Benzoësäure.

Acidum benzoïcum sublimatum. Flores Benzoës.

Paretur sublimatione e **Benzoë**.

Sint crystalli albidae, postremo flavescentes, nitoris sericei, odoris benzoini, in aquae frigidae partibus ducentis, in aquae fervidae partibus viginti quinque, in spiritu, aethere, oleo terebinthinae, nec non in liquore ammonii caustici facile solubiles, calefactae primum liquescant, tum plane avolent.

Crystalli in aqua fervida solutae et addito kali hypermanganico calefactae ne olei amygdalarum amararum odorem exhalent.

In vasis bene clausis servetur.

Acidum boricum.

Borsäure.

Acidum boracicum. Sal sedativum Hombergii.

Crystalli albae, lamellares, nitoris margaritacei, saporis vix acidi; calefactae primum liquescunt, aquae vapores emittentes, tum praebent massam, quae frigore in vitrum diaphanum rigescit.

Sit solubile in viginti sex partibus aquae frigidae, in tribus partibus aquae fervidae, nec non in spiritu. In aqua solutum neque argento nitrico, neque baryo chlorato turbetur, neque kalio sulfocyanato rubrum tingatur.

Acidum carbolicum crudum.

Rohe Carbolsäure.

Liquor e rubescente fuscus, plus minusve pellucidus, odoris fortis empyreumatici, in aqua parce, in spiritu facilius, in liquore natri caustici fervido maxima ex parte solubilis. *Centum partes* minimum *partes quinquaginta* acidi carbolici puri contineant.

Acidum carbolicum crystallisatum.

Carbolsäure.

Phenylsäure. Phenol. Acidum phenylicum.

Massa crystallina neutralis, coloris expers aut vix rubescens, e crystallis longis acuminatis constans, odoris peculiaris, saporis valde erodentis, ignita flamma candida deflagrans, calore 25 vel 30° (pura et ab aqua libera calore 42°) liquescens, calore circiter 180° ebulliens, in aqua frigida paullum solubilis, cum quavis copia aetheris, chloroformii, carbonei sulfurati, glycerini miscibilis, cum chloroformio vel carboneo sulfurato conquassata ob minorem aquae copiam, quam continet, liquorem paullum turbidum praebens. Sit liquata ponderis specifici circiter 1,060.

Cum aquae destillatae frigidae partibus minimum quinquaginta, summum sexaginta aut cum parva copia liquoris natri caustici conquassatum solutionem limpidam praebeat. Solutio aquosa guttulis nonnullis liquoris ferri sesquichlorati admixtis colorem violaceum diutius durantem trahat.

Caute servetur.

Acidum chloro-nitrosum.

Königswasser.

Aqua regia.

R. **Acidi hydrochlorici** *partes tres,* . . . . 3.
Acidi nitrici *partem unam.* . . . . 1.

Misce.

Non nisi ad dispensationem paretur.

Acidum chromicum.

Chromsäure.

Crystalli columellares vel aciculares, saepe acuminatae, coccineae, odore carentes, in aëre deliquescentes, in aqua et spiritu facile solubiles. Calefactae nigrescunt, tum liquescunt et oxygenium emittunt.

Solutio aquosa, cum acido hydrochlorico et aliquantulo spiritus diutius cocta, baryo chlorato non nimis turbetur.

Caute in vasis epistomio vitreo munitis servetur.

Acidum citricum.

Citronensäure.

Crystalli rhomboideo-columellares, coloris expertes, diaphanae, in aëre persistentes, in aqua, in spiritu facile solubiles, nec in aethere; calore minore fatiscunt, calore aucto liquescunt, ardore carbonescunt. Solutio cum aqua calcariae excedente commixta et calefacta praecipitatum album efficit, inter refrigerationem evanescens.

Solutio aquosa aqua hydrosulfurata, baryta nitrica, kali acetico, ammonio oxalico, calcaria sulfurica ne turbetur.

Acidum hydrochloricum.

Reine Salzsäure.

Acidum hydrochloratum. Acidum muriaticum.

Liquor limpidus, coloris expers, calefactus plane avolans, ponderis specifici 1,124, in *centum partibus partes viginti quinque* acidi hydrochlorici anhydri continens.

Aquae destillatae partibus quinque dilutum aqua hydrosulfurata ne mutetur, neve baryo chlorato turbetur, neve kalio sulfocyanato rubrum tingatur, neve cum kalio jodato et glutine amylaceo conquassatum colorem caeruleum trahat.

Ad explorandum, num ab acido sulfuroso et arsenicoso liberum sit, vitro probatorio longiori zinci purissimi parva frustula nonnulla injiciantur, quibus acidum hydrochloricum aquae duabus partibus dilutum superfundatur, ut vitrum ad partem decimam usque circiter compleatur. In partem vitri superiorem vacuam tum immittatur glomus e gossypio factum, solutione plumbi acetici irrigatum, et orificium vitri charta bibula alba argento nitrico soluto humectata obtegatur. Postquam evolutio gasis hydrogenii per horam dimidiam viguit, acido sulfuroso et arsenicoso absentibus, nec gossypium nec charta colore nigro infecta sunt.

In vasis epistomio vitreo munitis **caute** servetur.

Acidum hydrochloricum crudum.

Rohe Salzsäure.

Acidum hydrochloratum crudum.

Acidum muriaticum crudum. Spiritus Salis.

Liquor limpidus, subflavus, fumans et ponderis specifici 1,160 ad 1,170, quod partibus 30 ad 33 acidi hydrochlorici anhydri in centum partibus respondet. Continet vestigia acidi sulfurici et sulfurosi, argillae et ferri.

Acido arsenicoso inquinatum rejiciatur, quod eo modo cognoscitur, si acidi grammata circiter decem, admixto stanni chlorati grammate uno, aut calefacis aut per horam dimidiam seponis. Deinde liquorem acido arsenicoso inquinatum ob arsenium metallicum secretum invenies et turbidum et colore fusco infectum.

Caute servetur.

Acidum hydrochloricum dilutum.

R. **Acidi hydrochlorici,**

Aquae destillatae, singulorum *partes aequales.*

Misce.

Sit limpidum, coloris expers, ponderis specifici 1,060.

In vasis epistomio vitreo clausis servetur.

Acidum lacticum.

Milchsäure.

Liquor limpidus, coloris expers vel flavescens, spissitudinis syrupi, odore carens, saporis acidi, ponderis

specifici 1,24, calore fortiore carbonescens, flamma lucida deflagrans et sine residuo avolans, in aqua nec non in spiritu atque aethere solubilis.

Cum kali hypermanganico soluto admixto calefactum odorem aldehydi exhalat. Aqua dilutum nec aqua hydrosulfurata, nec baryo chlorato, argento nitrico aut ammonio oxalico turbetur; calefactum ne odorem acidi acetici vel butyrici exhalet.

Acidum nitricum.

Reine Salpetersäure.

Liquor limpidus, coloris expers, calefactus plane avolans, ponderis specifici 1,185, quod *partibus triginta* acidi nitrici (NHO_3) in *centum partibus* respondet.

Guttae nonnullae chloroformii, acido aquae destillatae pari quantitate diluto additae, ne illico neve post admixtionem aquae hydrosulfuratae colorem e violaceo rubrum ducant. Acidum quinque partibus aquae destillatae dilutum baryta nitrica aut argento nitrico ne turbetur neve kalio sulfocyanato rubescat.

In vasis epistomio vitreo munitis **caute** servetur.

Acidum nitricum crudum.

Scheidewasser.

Aqua fortis.

Sit coloris expers aut subflavum, calore sine residuo avolans, ponderis specifici 1,323 ad 1,331, quod 50 vel 52 acidi nitrici (NHO_3) in centum partibus respondet.

Caute servetur.

Acidum nitricum dilutum.

R. **Acidi nitrici,**

Aquae destillatae, singulorum *partes aequales.*

Misce.

Sit liquor limpidus, coloris expers, ponderis specifici 1,086 ad 1,089.

In vasis epistomio vitreo munitis servetur.

Acidum nitricum fumans.

Rauchende Salpetersäure.

Acidum nitroso-nitricum. Spiritus Nitri fumans.

Sit limpidum, coloris e fusco rubri, fumum rubentem suffocantem exhalans, ponderis specifici 1,520 ad 1,525. Aqua valde dilutum argento nitrico et baryta nitrica paullum modo turbetur.

In vasis epistomio vitreo clausis **caute** servetur.

Acidum phosphoricum.

Phosphorsäure.

Liquor limpidus, coloris et odoris expers, saporis acidi, ponderis specifici 1,120, quod respondet *partibus 20* acidi phosphorici (PH_3O_4) in *centum partibus.*

Natro carbonico paene saturatum addito argento nitrico praecipitatum ex albido flavum praebeat, quod

acido nitrico et liquore ammonii caustici perfecte solvatur. Gase hydrosulfurato saturatum in vase clauso post longius temporis spatium ne turbetur. Tinctum guttulis nonnullis kali hypermanganici soluti aut indici soluti, tum calefactum utroque modo ne decoloretur. Acidum aqua dilutum baryta nitrica ne nimis turbetur.

Acidum phosphoricum ad quintam partem sui ponderis evaporando redactum loco **acidi phosphorici sicci seu glacialis**, si quando ad massam pilularem conficiendam poscitur, sumatur.

Acidum succinicum.

Bernsteinsäure.

Sal Succini volatile.

Sint crystalli in crustis cohaerentibus obviae, flavescentes, odoris olei succini, igne cum nidore tussim excitante plane avolantes, in aquae frigidae partibus viginti octo, in aquae fervidae partibus 2,2, in spiritu facile, in aethere parcissime, in oleo terebinthinae minime solubiles.

Solutio aquosa concentrata cum liquore kali acetici mixta sedimentum crystallinum ne demittat, neve baryo chlorato aut calcio chlorato turbetur, neve aqua hydrosulfurata mutetur; guttis indici soluti nonnullis tincta, addito acidi sulfurici pauxillo, inter calefaciendum ne decoloretur. Acidum cum calcaria contritum odorem ammoniacalem ne exhibeat.

Acidum sulfuricum.

Reine Schwefelsäure.

Acidum sulfuricum rectificatum.

Liquor coloris expers, odore carens, spissitudinis olei, calefactus totus avolans, ponderis specifici 1,840, quod respondet *partibus 98,5* acidi sulfurici (SH_2O_4) in *centum partibus.*

Triplo spiritus volumine mixtum sedimentum ne demittat; aqua dilutum ne aqua hydrosulfurata mutetur; solutionis indici colorem ne vertat, atque solutionem kali hypermanganici inter calefaciendum ne decoloret. Cave ne acidum arsenicosum contineat, quod acidum hydrochloricum examinandi modo eo discrimine indagatur, ut acidum sulfuricum quintuplo vel sextuplo aquae antea diluatur.

In vasis epistomio vitreo bene clausis **caute** servetur.

Acidum sulfuricum crudum.

Rohe Schwefelsäure.

Englische Schwefelsäure.

Liquor limpidus, plerumque coloris expers, spissitudinis olei, ponderis specifici 1,830 ad 1,833, quod respondet partibus 91,8 ad 93,1 acidi sulfurici (SH_2O_4) in centum partibus.

Aquae quintuplo dilutum, tum filtratum et gase hydrosulfurato saturatum loco tepido praecipitatum flavum, liquore ammonii carbonici facile solubile, ne exhibeat.

In vasis epistomio vitreo bene clausis **caute** servetur.

Acidum sulfuricum dilutum.

Verdünnte Schwefelsäure.

R. **Acidi sulfurici** *partem unam,* . . . . 1.
Aquae destillatae *partes quinque.* . . . . 5.

Acidum aquae baculo vitreo agitatae caute et paullatim instilletur.

Sit ponderis specifici 1,113 ad 1,117.

Acidum sulfuricum fumans.

Rauchende Schwefelsäure.

Nordhäuser Vitriolöl.

Liquor subfuscus, spissitudinis olei, vapores albidos suffocantes exhalans, ponderis specifici 1,860 ad 1,900.

Eodem modo quo acidum sulfuricum crudum examinetur.

In vasis epistomio vitreo bene clausis **caute** servetur.

Acidum tannicum.

Gerbsäure.

Tannin. Acidum gallo-tannicum.

Sit pulvis e subflavo albus, ignitus sine residuo deflagrans, in aqua facile, difficilius in spiritu solubilis, reactionis acidulae. Solutio aquosa sit prorsus vel fere limpida et primum spiritu deinde aethere additis ne turbetur. Acidum cum aethere, cui aquae paullum admixtum est, conquassatum praebeat liquorem spissiorem, in aethere subsidentem.

Acidum tartaricum.

Weinsteinsäure.

Sal essentiale Tartari.

Crystalli columellares monoclinae, saepe ad crustas concretae, coloris et odoris expertes, in aëre persistentes, in igne carbonescentes, tum sine residuo deflagrantes, in aquae frigidae pari pondere, in aqua fervida multo etiam facilius, in spiritus partibus tribus solubiles.

Acidum duplo aquae pondere solutum ne aqua hydrosulfurata neve baryta nitrica neve ammonio oxalico turbetur.

Acidum valerianicum.

Baldriansäure.

Liquor limpidus, coloris expers, odoris peculiaris, ponderis specifici 0,940 ad 0,950 (respondens $C_5H_{10}O_2+H_2O$), in quavis copia aetheris, spiritus et liquoris ammonii caustici solubilis.

Partes aquae viginti quinque vix unam acidi partem solvant, quae solutio chartam exploratoriam caeruleam in rubram mutet, neve baryo chlorato neve argento nitrico turbetur. Liquoris ferri sesquichlorati guttae nonnullae acido, quod liquore ammonii caustici pari volumine aquae diluto neutralisatum est, admixtae efficiant praecipitatum e rubro fuscum resinosum, liquor autem insuper confluens ne ruber sit tinctus.

In vasis epistomio vitreo munitis servetur.

Aconitinum.

Akonitin.

Pulvis albus vel e flavido albus, odoris expers, saporis amari, dein acrioris, fauces radentis, reactionis alkalinae, in aqua frigida difficillime, facilius in aqua acido hydrochlorico mixta nec non in spiritu, aethere et chloroformio solubilis, in aqua fervida mollescens et in massam resinae similem coiens, dein in aquae fervidae partibus quinquaginta lente solubilis. Acido sulfurico concentrato solvitur colore e flavo rubro, qui per horas viginti quatuor in colorem e fusco rubrum vertitur. Acido phosphorico superfusus inter evaporationem in balneo aquae colorem violaceum trahit.

Cautissime servetur.

Adeps suillus.

Schweineschmalz.

Axungia Porci vel porcina.

Sus Scrofa *Linn.*

Sit albissimus, fere odoris expers, saporis non rancidi. Eliquatione e pinguedine in omento et ad renes haerente comparetur.

Aerugo.

Grünspan.

Spangrün. Viride Aeris. Cuprum subaceticum.

Massae paniformes vel globi compacti, difficulter friabiles, coloris viridis vel e caerulescente viridis. Aqua aeruginem ex parte solvit. Acido sulfurico diluto, acido acetico nec non liquore ammonii caustici solvitur, quantitatem minimam quisquiliarum relinquens.

Caute servetur.

Aether.

Schwefeläther.

Aether sulfuricus. Naphtha Vitrioli.

Sit limpidus, coloris expers, ab acidis liber et plane avolans, ita ut linteum aethere imbutum exhalatione peracta odorem non spargat.

Pondus specificum ne excedat numerum 0,728.

Loco frigido in vasis non amplis, optime clausis servetur.

Aether aceticus.

Essigäther.

Naphtha Aceti.

Liquor coloris expers, limpidus, ab acido liber, ponderis specifici 0,900 ad 0,904.

Cum aequali volumine aquae ubi conquassatur aqua ne amplius quam decima parte augeatur.

Servetur in vasis optime clausis, loco frigido.

Aether Petrolei.

Petroleumäther.

Liquor destillando e petroleo Americano elicitus.

Liquor limpidus, coloris expers, odorem petrolei vix spargens, in palmam guttatim defusus celeriter avolans, odorem non relinquens, cum aqua, cui innatat, misceri non potest, facillime inflammabilis, ponderis specifici 0,670 ad 0,675, calore 50 ad 60° ebulliens.

Cum voluminis quadrante liquoris ammonii caustici spirituosi et minore copia argenti nitrici per aliquot temporis momenta concoctus ne liquorem ammoniacalem infuscet.

In vasis bene clausis loco frigido servetur.

Aethylenum chloratum.

Aethylenchlorid.

Elaylchlorid.

Elaylum chloratum. Liquor Hollandicus.

Liquor limpidus, odoris chloroformii, ponderis specifici 1,270, calore 85° ebulliens, vix in aqua, facile in spiritu vel aethere solubilis.

Aqua destillata, quae cum eo conquassata fuerit, chartam exploratoriam caeruleam ne mutet, neve argento nitrico turbetur.

In vasis bene clausis servetur.

Aloë.

Aloë.

Aloë Capensis vel lucida.

Aloë spicata *Thunberg* et aliae generis Aloës species.

Massae non pellucidae, e subviridi saturate fuscae, ad marginem colore pallide fusco vel badio diaphanae, fractura conchata, vitri instar nitentes, odoris afflatae massae subnauseosi, proprii, saporis valde amari; pulverem coloris e viridi flavi praebentes. Aqua frigida ex parte, resinam mollem relinquentes, solubiles, aqua fervida turbidam, spiritu paene limpidam solutionem praebentes.

Alumen.

Alaun.

Crystalli plus minusve pellucidae, coloris expertes, octaëdricae, durae, paullum fatiscentes, in aquae frigidae circiter quindecim partibus et in aquae ebullientis partibus aequalibus solubiles, in spiritu non solubiles.

Solutio aquosa, reactionis acidae, aqua hydrosulfurata ne mutetur. Solutio diluta kalio ferrocyanato addito ne illico, sed post aliquod tempus colorem subcaerulescentem induat. Alumen cum liquore natri caustici calefactum ne ammonium demittat et praecipitatum initio exortum in liquore natri caustici superante perfecte sit solubile, quae solutio ammonio sulfurato addito vix turbetur.

Alumen ustum.

Gebrannter Alaun.

Alumen in vase fictili, non vitreato, sat capaci uratur, donec totum in massam levem spongiosam mutatum fuerit.

Sit album, porosum, facile friabile, reactionis acidae, in aqua lente sed fere plane solubile.

Alumina hydrata.

Thonerdehydrat.

Argilla pura s. hydrata.

R. **Aluminis** *partes decem.* . . . . **10.**

Solutis in

Aquae destillatae calidae *partibus octoginta*, . . **80.**

dein filtratis inter assiduam agitationem instillentur

Natri carbonici puri *partes novem*, ... **9.**

Aquae destillatae *partibus octoginta* . . . . **80.**

solutae. Praecipitatum inde ortum subsidat, liquore defuso in filtro colligatur et ita aqua eluatur, ut liquor exstillans baryta nitrica vix turbetur. Tum praecipitatum inter chartam bibulam expressum siccetur et in pulverem subtilissimum conterendo redigatur.

Sit pulvis albus, levis, linguae adhaerens, haud in aqua, plane in acidis dilutis aut in liquore natri caustici solubilis; solutio alkalina ammonio chlorato praecipitetur, ne ammonio sulfurato aut, admixta acidi hydrochlorici copia parce praevalente, baryo chlorato tantummodo paullum turbetur.

Ammoniacum.

Ammoniakgummi.

Gummi-resina Ammoniacum.

Dorema Ammoniacum *Don.*

Grana subrotunda, magnitudine pisi ad illam nucis juglandis, aut massae subfuscae intermixta aut ad massam irregulariter conglutinata, extrinsecus flava vel e flavo fusca, fractura leviter conchata, lactea, pinguiter nitida, tenuibus assulis diaphana, frigore duriuscula, calore mollescentia; manducata fauces radentia, saporis amari, odoris proprii; cum aqua trita lactescentia, in spiritu ex parte solubilia.

Fuscum, plurimis quisquiliis intermixtum rejiciendum est.

Ad usum pharmaceuticum frigido anni tempore gelu rigefactum in pulverem redigatur et ope cribri a quisquiliis mundetur.

Ammonium carbonicum.

Flüchtiges Laugensalz.

Reines Hirschhornsalz. Sal volatile siccum.

Ammoniacum carbonicum.

Massae densae, durae, diaphanae, fibroso-crystallinae, siccae, odoris fortis ammoniacalis, non empyreumatici, in aëre fatiscentes, in superficie pulvere albo saepius obtectae. Aquae frigidae partibus quatuor perfecte solvitur, difficilius spiritu; cum acidis effervescit et calore modico plane avolat.

Solutio aquosa, acido nitrico satiata ne aqua hydrosulfurata neve baryo chlorato neve ammonio oxalico turbetur, et argento nitrico non nisi turbationem minimam accipiat.

In vasis optime clausis servetur.

Ammonium carbonicum pyro-oleosum.

Brenzlich-kohlensaures Ammonium.

Ammoniacum carbonicum pyro-oleosum.
Sal volatile Cornu Cervi.

R. **Ammonii carbonici** *partes triginta duas.* . . . . **32.**
Ad pulverem contritae exacte misceantur cum
Olei animalis aetherei *parte una,* . . . . **1.**
paullatim instillanda.

Sit pulvis albidus, tempore flavescens, in aqua colore flavescente solubilis.

In vase vitreo bene clauso servetur.

Ammonium chloratum.

Salmiak.

Ammoniacum hydrochloratum. Sal ammoniacum depuratum.

Placentae albae durae fibroso-crystallinae vel pulvis albus crystallinus, coloris et odoris expers, in aëre persistens, caloris ope plane avolans, in aquae frigidae partibus tribus et in aquae ebullientis partibus aequalibus solubilis.

Aqua solutum ne aqua hydrosulfurata aut ammonio sulfurato, neve baryo chlorato mutetur. Kalio ferro-

cyanato, solutioni modice dilutae instillato, tantummodo post aliquod tempus color caeruleus efficiatur.

Ammonium chloratum ferratum.

Eisensalmiak.

Ammoniacum hydrochloratum ferratum.

Ammonium muriaticum martiatum.

R. **Ammonii chlorati** *partes sedecim.* . . . . **16.**

Aquae destillatae *partibus triginta duabus,* . . . **32.**

solutis admisceantur

Liquoris Ferri sesquichlorati *partes tres.* . . . **3.**

Tum liquor in vase porcellaneo calore balnei vaporis inter assiduam agitationem ad siccitatem usque evaporet et massa residua in pulverem redigatur.

Sit pulvis aurantiacus, in aëre humescens, in aqua plane solubilis, in *centum partibus* continens *partes* 2,5 ferri aut 7,25 ferri sesquichlorati.

In vasis bene clausis loco obscuro servetur.

Ammonium phosphoricum.

Phosphorsaures Ammonium.

Crystalli coloris expertes, pellucidae vel pulvis crystallinus albus, in aqua facile solubilis, in spiritu non solubilis, neutralis vel paullum alkalinus.

Aqua solutum ne ammonio sulfurato et cum acidi hydrochlorici copia paullum praevalente mixtum ne aqua hydrosulfurata mutetur, neve baryo chlorato turbetur.

Amygdalae amarae.

Bittere Mandeln.

Semen Amygdali amarum.

Amygdalus communis *Linn.* α. amara *DC.*

Semina ovate oblonga, subcompressa; testa membranacea, e fusco flavescente, pulverulenta; embryone albo, oleoso-carnoso, in cotylas duas secedente; saporis amari, odoris fere nullius, sed cum aqua trita odorem spargunt proprium.

Rejiciantur amygdalae vetustae, rancidae, insectis corrosae.

Amygdalae dulces.

Süsse Mandeln.

Semen Amygdali dulce.

Amygdalus communis *Linn.* β. dulcis *DC.*

Semina amaris similia, plerumque autem majora et planiora, saporis oleosi subdulcis, cum aqua trita inodora.

Rejiciantur amygdalae vetustae, rancidae, insectis corrosae.

Amylum Marantae.

Marantastärke.

Arrow-root.

Maranta arundinacea *Linn.*

Pulvis subtilissimus, albus, opacus, odoris et saporis expers, in aqua frigida et in spiritu non solubilis, cum partibus nonaginta sex aquae bullientis mucilaginem praebens tenuiorem, pellucidam, addito iodo colorem e caeruleo

violaceum assumentem. Amylum cum decem partibus mixturae ex acidi hydrochlorici partibus duabus et aquae parte una paratae per sextantem horae conquassatum maximam partem immutatum praecipitetur, ne gelatina fiat neve odor herbaceus, leguminum phaseoli immaturorum recentium odori comparandus, exhaletur.

Non raro sub eodem nomine amylum Curcumarum leucorrhizae et angustifoliae *Roxb.* e Malabaria et amylum Manihot utilissimae *Pohl.* e Brasilia in mercatura occurrunt, quae sub microscopio composito facillime discerni possunt. Nam amyli Marantae granula ooïdea vel ovalia, stratis superpositis manifestis et in regione latioris diametri rimula transversa vel puncto saepissime excentrico sunt instructa. Amylum Curcumae ex granulis constat planis, ovatis vel ovato-oblongis, hinc obtusis, inde plus minusve acutis, ibidem puncto maxime excentrico et stratis adjacentibus, lunatis, creberrimis tenuissimisque praeditis. Amylum Manihot e granulis constat primo binis, ternis vel quaternis cohaerentibus, in sicco separatis, nunc tympani formam efficientibus, puncto centrali stratisque concentricis instructis.

Cave ne adulteratum sit Amylo Solani tuberosi *L.*, quod in reactione supra dicta gelatinam praebet crassam, phaseolis immaturis recentibus redolentem, et sub microscopio composito ostendit granula plus minusve ooïdea, hinc obtusa, inde acutiora, ibidem puncto excentrico, circum quod stratis concentricis irregularibus sunt instructa.

Amylum Tritici.

Weizenstärke.

Triticum vulgare ***Villars.***

Merx venalis in frustis irregularibus, angularibus, cohaerentibus, detrita pulverem praebet subtilissimum, e subcaeruleo album, opacum, odoris et saporis expertem, in aqua frigida et in spiritu non solubilem. Sub microscopio composito ex orbiculis constat lenticularibus vel subrenatis, magnitudine valde diversis, puncto centrali et stratis concentricis obliteratis notatis. Amylum cum partibus nonaginta sex aquae bullientis liquorem efficit mucilaginosum, sublacteum, iodo addito colorem e caeruleo violaceum suscipientem; cum decem partibus mixturae ex acidi hydrochlorici partibus duabus et aquae parte una paratae conquassatum gelatinam odoris expertem praebet.

Antidotum Arsenici.

Gegengift der arsenigen Säure.

R. **Liquoris Ferri sulfurici oxydati** *partes sexaginta,* **60.**

Aquae communis *partes centum et viginti.* . . . **120.**

Mixtis adde

Magnesiae ustae *partes septem,* . . . . **7.**

antea exacte contritas cum

Aquae communis *partibus centum et viginti,* . . **120.**

et assidue conquassa, donec puls aequabilis tenuisque effecta fuerit.

Non nisi ad dispensationem paretur.

Praesto esse debent circiter 500 grammata liquoris ferri sulfurici oxydati et 150 grammata magnesiae ustae.

Aquae destillatae.

Destillirte Wässer.

Aquae destillatae sint odoris et, aqua opii excepta, saporis proprii substantiarum, ex quibus parantur. Ab oleo aethereo non soluto liberentur; mucilaginosae et coloris non expertes rejiciantur.

Loco frigido serventur.

Aqua Amygdalarum amararum.

Bittermandelwasser.

Aqua Amygdalarum amararum concentrata.

R. **Amygdalarum amararum** *partes duodecim* . . . 12.
Contusae preli ope, calorem evitando, ab oleo pingui quam maxime liberentur, tum in pulverem subtilem redactae cum

Aquae communis *partibus octoginta* . . . . 80.
optime commisceantur.

Additis

Spiritus *partibus duabus* . . . . 2.
destillent *partes decem* . . . . 10.
vel tantum, ut *partes mille* liquoris destillati et conquassati *partem unam* acidi hydrocyanici contineant vel ut *partes mille* primum cum argento nitrico ammoniato, deinde acido nitrico commixtae *partes quinque* argenti cyanati sicci praebeant.

Sit paullum turbida et acidum hydrocyanicum et oleum amygdalarum amararum valde redolens. Odor

olei amygdalarum amararum, acido hydrocyanico ope argenti nitrici demto, persistat.

In vasis bene clausis **caute** servetur.

Aqua Amygdalarum amararum diluta.

Kirschwasser.

Aqua Cerasorum. Aqua Cerasorum amygdalata.

R.	**Aquae Amygdalarum amararum** *partem unam,*	**1.**
	Aquae destillatae *partes undeviginti.*	**19.**

Misce.

Aqua aromatica.

Schlagwasser.

Aqua cephalica. Aqua s. Balsamum Embryonum.

R.	**Foliorum Salviae** *partes quatuor,*	**4.**
	Foliorum Rosmarini, ...	**2.**
	Foliorum Menthae piperitae, ...	**2.**
	Florum Lavandulae, singulorum *partes duas,*	**2.**
	Fructuum Foeniculi, ...	**1.**
	Corticis Cinnamomi Cassiae, singulorum *partem unam,*	**1.**
	Spiritus *partes viginti sex,*	**26.**
	Aquae communis *partes centum et triginta.* . .	**130.**

Concisa et contusa macerentur per horas viginti quatuor, tum destillando eliciantur *partes septuaginta duae.* **72.**

Sit turbida, odoris fortis aromatici.

Aqua Calcariae.

Kalkwasser.

Aqua Calcariae ustae. Aqua Calcis. Calcaria soluta.

R. Calcariae ustae *partem unam.* . . . . 1.
Aquae quantitate sufficiente extinctae admisce inter assiduam agitationem

Aquae communis *partes quinquaginta.* . . . . . 50.

Stent per aliquot horas, saepius agitentur et relicta parte sedimenti maxima in vas bene obturandum immittantur.

Ante dispensationem filtretur.

Sit post filtrationem limpida, coloris expers, reactionis alkalinae, et calore et aëre inhalato turbetur.

Aqua Chamomillae.

Kamillenwasser.

R. Florum Chamomillae vulgaris *partem unam,* . . 1.

Aquae communis *quantum sufficit.*

Destillent *partes decem.* . . . . 10.

Vel miscendo paretur ex

Aquae Chamomillae concentratae *parte una,* . 1.

Aquae destillatae *partibus novem.* . . . . 9.

Aqua Chamomillae concentrata.

Koncentrirtes Kamillenwasser.

R. **Florum Chamomillae vulgaris** *partes decem.* . 10.
Ope vaporum aquae destillando *partibus centum* . 100.
elicitis admisce
Spiritus *partes duas* . . . . 2.
et denuo destillent *partes decem.* . . . . 10.

In lagenis vitreis clausis servetur.

Aqua chlorata.

Chlorwasser.

Aqua Chlori. Chlorum solutum. Liquor Chlori. Aqua oxymuriatica.

Liquor limpidus, e subflavo viridis, odoris suffocantis, chartam tinctura laccae musci imbutam statim decolorans.

Cum hydrargyro metallico conquassata, ita ut chlorum perfecte absorbeatur, chartam exploratoriam caeruleam minime vel paullulum modo rubefaciat.

Partes centum aquae chloratae cum *partibus tribus* ferri sulfurici, in aqua cum acido hydrochlorico mixta solutis, conquassatae ne amplius liquorem kali hypermanganici decolorent; contineat igitur prope *0,4 partes* chlori in *centum partibus*.

A luce arceatur et in lagenis parvis iisque semper plane repletis vitreisque obturamentis clausis servetur.

Aqua Cinnamomi.

Einfaches Zimmtwasser.

R. **Corticis Cinnamomi Cassiae** *partem unam*, . . 1.
Aquae communis *quantum sufficit.*
Destillent *partes decem.* . . . . 10.

Aqua Cinnamomi spirituosa.

Weingeistiges Zimmtwasser.

Aqua Cinnamomi vinosa.

R. **Corticis Cinnamomi Cassiae** *partem unam*, . . 1.
Spiritus diluti *partem unam*, ... 1.
Aquae communis *partes decem.* . . . . 10.
Destillent *partes quinque.* . . . . 5.
Sit turbida, postremo limpida.

Aqua communis.

Gemeines Wasser. Wasser.

Adhibeatur aqua, quaecunque purissima in promptu est, sive fontana sive fluvialis sive pluvialis.

Si a sapore malo libera, coloris expers et limpida obtineri non potest, per arenam et carbonem in vicem strata filtretur.

Aqua destillata.

Destillirtes Wasser.

Corpora heterogenea, exceptis acidi carbonici vel ammonii vestigiis minimis, ne contineat.

Aqua Florum Aurantii.

Orangenblüthenwasser.

Aqua florum Naphae.

R. **Aquae Florum Aurantii venalis,**
Aquae destillatae, singularum *partes aequales.*
Misce.
Ab inquinamentis metallicis sit libera.

Aqua Foeniculi.

Fenchelwasser.

R. **Fructuum Foeniculi contusorum** *partem unam,* 1.
Aquae communis *quantum sufficit.*
Destillent *partes triginta*. . . . . 30.
Sit paullum turbida.

Aqua foetida antihysterica.

Zusammengesetztes Stinkasantwasser.

Aqua Asae foetidae composita. Aqua foetida Pragensis. Aqua antihysterica Pragensis.

R. **Galbani** *partes octo,* . . . . 8.
Asae foetidae *partes duodecim,* . . . . 12.
Myrrhae *partes sex,* . . . . 6.
Radicis Valerianae, ... 16.
Rhizomatis Zedoariae, singulorum *partes sedecim,* . . 16.
Radicis Angelicae *partes quatuor,* . . . . 4.
Foliorum Menthae piperitae *partes duodecim,* 12.

Herbae Serpylli, ... 8.
Florum Chamomillae Romanae, singulorum
partes octo, . . 8.
Castorei Canadensis *partem unam*. . . . . 1.
Contusis, concisis et in retortam immissis affunde
Spiritus diluti *partes centum et quinquaginta*. . 150.
Stent per viginti quatuor horas, tum addantur
Aquae communis *partes trecentae*, ... 300.
et destillent *partes trecentae*. . . . . 300.
Sit turbida.

Aqua Kreosoti.

Kreosotwasser.

Kreosotum solutum.

R. **Kreosoti** *partem unam*, ... 1.
Aquae destillatae *partes centum*. . . . . 100.
Misce conquassando.
Sit turbida.

Aqua Lauro-Cerasi.

Kirschlorbeerwasser.

R. **Foliorum Lauro-Cerasi recentium** *partes duodecim*. 12.
Concisis et ope pistilli lignei in mortario lapideo contusis affunde
Aquae communis *partes triginta sex*, ... 36.
Spiritus *partem unam*. . . . . 1.
Bene refrigerando destillent *partes decem* . . . . . . 10.

aut tantum, ut obtineatur aqua efficacia adaequans aquam Amygdalarum amararum.

Sit limpida vel sublimpida, acidi hydrocyanici penetrantis odoris.

In vasis bene clausis **caute** servetur.

Aqua Melissae.

Melissenwasser.

Aqua Melissae citratae.

Paretur e **Foliis Melissae** vel ex **Aqua Melissae concentrata** ut **Aqua Chamomillae.**

Sit limpida.

Aqua Melissae concentrata.

Koncentrirtes Melissenwasser.

Paretur e **Foliis Melissae** ut **Aqua Chamomillae concentrata.**

Aqua Menthae crispae.

Krauseminzwasser.

R. **Foliorum Menthae crispae** *partem unam,* . . . **1.**
Aquae communis *quantum sufficit.*
Destillent *partes decem.* . . . . **10.**

Sit paullum turbida.

Aqua Menthae piperitae.

Pfefferminzwasser.

Paretur e **Foliis Menthae piperitae** uti **Aqua Menthae crispae.**

Sit paullum turbida.

Aqua Menthae piperitae spirituosa.

Weingeistiges Pfefferminzwasser.

Aqua Menthae piperitae vinosa.

Paretur e **Foliis Menthae piperitae** uti **Aqua Cinnamomi spirituosa.**

Sit turbida.

Aqua Opii.

Opiumwasser.

R. **Opii grosso modo pulverati** *partem unam*, . . . 1.
Aquae communis *partes decem.* . . . . 10.
Destillent *partes quinque.* . . . . 5.

Sit limpida, coloris expers, odoris exigui.

Aqua Petroselini.

Petersilienwasser.

R. **Fructuum Petroselini** *partem unam*, ... 1.
Aquae communis *quantum sufficit.*
Destillent *partes viginti.* . . . . 20.

Sit paullum turbida, postremo limpida.

Aqua phagedaenica.

Phagedänisches Wasser.

Altschadenwasser. Liquor Hydrargyri bichlorati corrosivi cum Calcaria usta.

R. **Hydrargyri bichlorati corrosivi** *partem unam.* **1.**

Subtilissime contrita misceatur cum

Aquae Calcariae *partibus trecentis.* . . . . **300.**

Sit turbida, sedimentum e flavo aurantiacum demittens.

Non nisi ad dispensationem paretur.

Aqua phagedaenica nigra.

Schwarzes Wasser.

Aqua nigra. Aqua mercurialis nigra. Liquor Hydrargyri chlorati mitis cum Calcaria usta.

R. **Hydrargyri chlorati mitis** *partem unam,* . . . . **1.**

Aquae Calcariae *partes sexaginta.* . . . . **60.**

Sedulo conterendo misce. Liquor agitatus una cum sedimento nigro dispensetur.

Non nisi ad dispensationem paretur.

Aqua Picis.

Theerwasser.

Aqua picea.

R. **Picis liquidae** *partem unam.* . . . . **1.**

Affunde.

Aquae destillatae fervidae *partes decem.* . . . . **10.**

Macera per biduum et saepius agita.

Liquorem limpidum decantha.

Sit limpida, subflavida, odoris et saporis picis liquidae.

In lagenis bene clausis servetur.

Aqua Plumbi.

Bleiwasser.

Kühlwasser. Aqua plumbica s. saturnina.

R. **Aquae destillatae** *partes quadraginta novem,* . . 49.
Liquoris Plumbi subacetici *partem unam.* . . . 1.

Misceantur.

Sit paullum turbida. Ante dispensationem agitetur.

Caute servetur.

Aqua Plumbi Goulardi.

Goulard's Bleiwasser.

Aqua Goulardi. Aqua vegeto-mineralis Goulardi. Aqua Plumbi spirituosa.

R. **Aquae communis** *partes quadraginta quinque,* . 45.
Liquoris Plumbi subacetici *partem unam,* . . . 1.
Spiritus diluti *partes quatuor.* . . . . 4.

Misceantur.

Sit turbida, ante dispensationem agitetur.

Caute servetur.

Aqua Rosae.

Rosenwasser.

R. **Florum Rosae recentium** *partes duas* . . . . . . 2.
aut natrii chlorati parte dimidia conditorum *partes tres,* 3.
Aquae communis *quantum satis.*

Destillent *partes decem.* . . . . 10.

Sit limpida.

Aqua Rubi Idaei.

Himbeerwasser.

R. **Placentae fructuum Rubi Idaei recens expressae** *partes centum*, . . . 100.
Aquae communis *quantum sufficit.*
Destillent *partes ducentae.* . . . . 200.
Vel miscendo paretur ex
Aquae Rubi Idaei concentratae *parte una*, . . 1.
Aquae destillatae *partibus novem.* . . . . 9.

Aqua Rubi Idaei concentrata.

Koncentrirtes Himbeerwasser.

R. **Placentae fructuum Rubi Idaei recens expressae** *partes centum*, . . . 100.
Spiritus *partes quatuor*, ... 4.
Aquae communis calidae *quantum sufficit.*
Macerent per noctem unam, tum destillent *partes viginti.* . . . . 20.
Sit limpida.
In vitris bene clausis servetur.

Aqua Salviae.

Salbeiwasser.

Paretur e **Foliis Salviae** aut ex **Aqua Salviae concentrata** uti **Aqua Chamomillae.**

Sit paullum turbida, postremo limpida.

Aqua Salviae concentrata.

Koncentrirtes Salbeiwasser.

Paretur e **Foliis Salviae** uti **Aqua Chamomillae concentrata.**

Aqua Sambuci.

Fliederblumenwasser.

Hollunderblüthenwasser.

Paretur e **Floribus Sambuci** aut ex **Aqua Sambuci concentrata** uti **Aqua Chamomillae.**

Sit paullum turbida.

Aqua Sambuci concentrata.

Koncentrirtes Fliederblumenwasser.

Paretur e **Floribus Sambuci** uti **Aqua Chamomillae concentrata.**

Aqua Tiliae.

Lindenblüthenwasser.

Paretur e **Floribus Tiliae** aut ex **Aqua Tiliae concentrata** ut **Aqua Chamomillae.**

Sit limpida.

Aqua Tiliae concentrata.

Koncentrirtes Lindenblüthenwasser.

Paretur e **Floribus Tiliae** ut **Aqua Chamomillae concentrata.**

Aqua Valerianae.

Baldrianwasser.

Paretur e **Radice Valerianae** ut **Aqua Menthae crispae.** Sit limpida; chartam exploratoriam caeruleam rubefaciat.

Aqua vulneraria spirituosa.

Weisse Arquebusade.

Aqua vulneraria vinosa.

R.	**Foliorum Menthae piperitae**, ...	1.
	Foliorum Rosmarini, ...	1.
	Foliorum Rutae, ...	1.
	Foliorum Salviae, ...	1.
	Herbae Absinthii, ...	1.
	Florum Lavandulae, singulorum *partem unam.*	1.

Concisae macerent per biduum

	Spiritus diluti *partibus duodeviginti*, ...	18.
	Aquae communis *partibus quinquaginta*, ...	50.
tum destillando eliciantur	*partes triginta sex.*	36.

Sit turbida, odoris fortis aromatici.

Argentum foliatum.

Blattsilber.

Ab aliis metallis quam maxime liberum sit.

Argentum nitricum crystallisatum.

Krystallisirtes salpetersaures Silberoxyd.

Tabulae in aëre persistentes, coloris expertes, quatuor vel sex lateribus instructae, in aqua, in spiritu et in aethere perfecte, in ammonio caustico sine colore solubiles. In carbone tubuli ferruminatorii ope incensae primo scintillas ejicientes deliquescant, granulum denique argenti puri relinquant. Solutio aquosa, argento ope acidi hydrochlorici perfecte praecipitato, filtrata, dein evaporata nihil residui praebeat.

In vase denigrato bene obturato **caute** servetur.

Argentum nitricum fusum.

Geschmolzenes salpetersaures Silberoxyd.

Höllenstein. Lapis infernalis.

Sit album aut e griseo albidum, compactum, in fractura radiatum. In spiritus partibus decem perfecte, in ammonio caustico sine ullo colore solubile et qualitatis chemicae argenti nitrici crystallisati.

In vitro denigrato **caute** servetur.

Argentum nitricum cum Kali nitrico.

Salpeterhaltiger Höllenstein.

Argentum nitricum fusum mitigatum.

Lapis infernalis nitratus.

R. **Argenti nitrici crystallisati** *partem unam*, ... **1.**
Kali nitrici *partes duas*. . . . . **2.**

Conterendo misceantur et in vase porcellaneo liquatae in bacillorum formam fundantur.

Bacilli albi, duri, in fractura vix crystallini. *Partes centum* in aqua solutae et cum acido hydrochlorico superabundante commixtae minorem quantitatem quam *partes viginti septem* argenti chlorati bene exsiccati ne praebeant.

In vitro denigrato **caute** servetur.

Argilla.

Thon.

Weisser Bolus. Bolus alba.

Terra cohaerens, friabilis, albida, inquinans, humectata subtenax, in aqua dilabens, maxima ex parte ex argilla pura constans.

Acido hydrochlorico affuso minime effervescat, arenam ne contineat.

Asa foetida.

Stinkasant.

Teufelsdreck. Gummi-resina Asa foetida.

Scorodosma foetidum *Bunge*. Ferula Asa foetida *Linn*.

Grana libera vel plus minus inter se conglutinata vel massae irregulares, fractura recenti albida, opalina, pinguiter nitida, mox purpurascentia, postremo sordide fuscescentia, sub digitis lentescentia; odoris ingratissimi, alliacei, saporis tetri. Cum aqua trita emulsionem griseam

praebentia, in spiritu aliqua ex parte solubilia. Massae subnigrae, cum lapidibus aliisque sordibus mixtae sunt rejiciendae.

Asa foetida tempestate gelida est pulveranda et a quisquiliis ope cribri purganda.

Atropinum.

Atropin.

Pulvis crystallinus e flavescente albus, saporis proprii, reactionis alkalinae, solubilis in partibus circiter trecentis aquae frigidae, facilius in aqua fervida vel spiritu; cum acido sulfurico concentrato solutionem decolorem, post aliquod tempus flavescentem, cum acido nitrico solutionem flavidam, postremo decolorem praebens. Super lamina platinea igni expositus fumum album odoris proprii emittit et plane avolat. Solutio atropini valde diluta pupillam dilatat.

Cautissime servetur.

Atropinum sulfuricum.

Schwefelsaures Atropin.

Pulvis crystallinus, albus, saporis amari, neutralis, facile in aqua vel spiritu solubilis; pars una in mille aquae partibus soluta saporis est amari, nauseam moventis et pupillam dilatat.

Super lamina platinea calefactum destruatur, vapores albos, nares pungentes emittens et plane avolet. Omnino reactiones atropini praebeat.

Cautissime servetur.

Auro-Natrium chloratum.

Chlorgoldnatrium.

Aurum chloratum s. muriaticum natronatum.

R. **Auri puri** *partes sexaginta quinque.* . . . . . . **65.**
Solutae in
Acidi chloro-nitrosi *partibus ducentis et sexaginta* **260.**
evaporent calore balnei vaporis, donec portiuncula exemta in massam salinam rigescat. Tum sedulo admixtis
Natrii chlorati pulverati *partibus centum* . . . **100.**
inter continuam agitationem calore balnei vaporis ad siccitatem redigantur.

Sit pulvis aurantiacus, in aëre vix humescens, in aqua plane solubilis, in filtro spiritus ope satis elotus prope partem dimidiam in spiritu non solubilem praebeat. *Centum partes* contineant *partes quinquaginta* auri trichlorati ($AuCl_3$).

In vase epistomio vitreo clauso **caute** servetur.

Aurum foliatum.

Blattgold.

Acido nitrico ne solvatur. Acidum nitricum de auro defusum ammonio caustico praevalente affuso colorem ne ducat.

Balsamum Copaivae.

Kopaivabalsam.

Copaifera multijuga *Hayne* et aliae generis Copaiferae species.

Liquor graveolens, pellucidus, flavescens vel e fuscescente flavescens, spissitudinis olei pinguis, saporis subamari, subacris.

In evaporatione ne oleum terebinthinae redoleat, tum resinam friabilem relinquat.

Balsamum Peruvianum.

Perubalsam.

Balsamum Peruvianum nigrum. Balsamum Indicum.
Myroxylon Sonsonatense *Klotzsch.*

Fluidum e nigro fuscum, in stratis tenuioribus colore ex purpureo fusco diaphanum, tactu unguinosum, in aëre non siccescens, consistentiae syrupi, reactionis acidae, ponderis specifici 1,15 ad 1,16, odoris grati vanillacei, saporis subamari, os diu urentis, in spiritus partibus sex fere plane solutione turbida solubile, cum aqua destillatum oleum aethereum non praebens. Mille partes balsami partes septuaginta quinque natri carbonici crystallisati neutralisare debent.

Cum majore oleorum pinguium copia misceri non potest, facile autem cum oleis aethereis. Cum pari pondere acidi sulfurici concentrati mixtum incalescat, et post perfectam refrigerationem aqua ablutum, totum in massam fere solidam indurescat, cui partes unguinosae, a balsamo copaivae vel oleo ricini admixtis profectae, ne adhaereant.

Balsamum Tolutanum.

Tolubalsam.

Balsamum de Tolu.

Myroxylon toluiferum *Humboldt, Bonpland et Kunth*
(Myrospermum toluiferum *Richard*).

Massa resinosa, recens spissa, translucens, flava vel flavescens, odoris suavis, saporis aromatici cum quadam dulcedine, consistentiae terebinthinae, per longius tempus reposita vel vetusta fuscescens, postremo fusca, solida vel interdum crystallina. Sit in acetono, spiritu, chloroformio, liquore kali caustici solubilis, sed non solubilis in benzino et in carboneo sulfurato.

Baryum chloratum.

Chlorbaryum.

Baryta muriatica.

Sint crystalli diaphanae, rhomboideae, tabulares vel lamellares, coloris expertes, aëre non mutabiles, in aquae frigidae partibus duabus et dimidia, in aquae fervidae parte una et dimidia solubiles. Solutio aquosa sit coloris expers, chartam exploratoriam non mutans, argento nitrico et acido sulfurico diluto copiose praecipitetur, ne ammonio sulfurato, neve aqua hydrosulfurata turbetur.

Spiritus cum crystallis pulveratis conquassatus ne sal deliquescens solvat, neve colore rubro deflagret.

Benzinum.

Benzin.

Benzinum Petrolei.

Liquor destillatione e petroleo Americano elicitus.

Liquor limpidus, coloris expers, odoris peculiaris, in aqua minime, in spiritu aethereque facilius solubilis, ponderis specifici 0,680 ad 0,700, calore 60 ad 80° ebulliens, valde inflammabilis.

Cave ne benzino e lignis fossilibus destillatione sicca parato commixtum sit, quod ut in aethere petrolei cognoscitur.

Benzoë.

Benzoë.

Resina Benzoë.

Styrax Benzoïn *Dryander* (Benzoïn officinale *Hayne*).

Massa aut e granis inter se conglutinatis, extrinsecus e flavo fuscis, aut ex rubicundo flavis, intus lacteis, nitidis, odoris pergrati vanillacei aut compacta, ex rubicundo fusca, inspersis granis pallidioribus. Cave ne confundas cum resina, quae vocatur, »Benzoë de Penang vel de Sumatra,« fere albida, opaca, e glebis constante copiosissimis, albidis, massae pallide fuscae parcae immersis, odoris storacini et cum aqua et calcaria usta cocta kali hypermanganico addito odorem olei amygdalarum amararum praebente.

Bismuthum subnitricum.

Basisches salpetersaures Wismuthoxyd.

Bismuthum hydrico-nitricum. Magisterium Bismuthi.

R. **Acidi nitrici puri** *partes novem*. . . . . 9.
In cucurbitam vitream immissis paullatim adde
Bismuthi grosso modo pulverati *partes duas*, . . 2.
actionem solutionis sub finem leni calore augendo. Quum vapores nitrosi non amplius emanant, *tantum* **aquae destillatae** addatur, quantum par sit dimidiae liquoris parti vel donec praecipitatum album exoriri inceperit. Quo facto liquor subsidat, defundatur et ad crystallisationem usque evaporet, quoad pondus solutionis sit triplum metalli adhibiti.

Crystallorum parva quantitate aquae acido nitrico admixto paullum acidulae ablutarum et sedulo contritarum *pars una* misceatur cum **aquae destillatae** *partibus quatuor*, et mixtura in vas, quod **aquae destillatae fervidae** *partes viginti unam* capiat, effundatur et probe agitetur. Praecipitatum inde ortum, simul atque est refrigeratum, statim in filtro collige, ne nimis aqua elue et calore 30° non excedente sicca.

Sit pulvis albissimus, crystallinus; aqua humectatus chartam exploratoriam caeruleam colore rubro tingat; acido nitrico vel hydrochlorico limpide sine effervescentia solvatur; solutio acido nitrico effecta, aqua paullum diluta ne argento nitrico, baryta nitrica aut acido sulfurico diluto turbetur. Liquor decoctione pulveris cum decuplo pondere acidi acetici diluti obtentus et post praecipitationem ope aquae hydrosulfuratae effectam, filtratus,

tum in patina porcellanea evaporatus ne residuum relinquat. Cum liquoris kali caustici copia excedente calefactus liquorem praebeat, qui ammonium non emittat, tum aqua dilutus et filtratus aqua hydrosulfurata non turbetur. Ad explorandum, num ab acido arsenicoso liberum sit, praeparatum cum pari pondere acidi sulfurici concentrati calefiat, donec acidum nitricum plane avolaverit, tum aquae sextuplo dilutum eodem modo quo acidum hydrochloricum tentetur.

In vasis bene clausis servetur.

Bismuthum valerianicum.

Baldriansaures Wismuthoxyd.

R. **Bismuthi subnitrici** *partes triginta duas.* . . . . 32.
In mortarium porcellaneum immissis et cum paullo aquae destillatae terendo in pultem tenerrimam redactis immisceantur

Natri carbonici puri *partes duodecim,* . . . . . 12.
antea solutae in

Aquae destillatae *partibus triginta* . . . . 30.
et mixtae cum

Acidi valerianici *partibus novem.* . . . . 9.

Interdum agitando leni calore digere per horam unam, tum post refrigerationem praecipitatum in filtro collige, aqua frigida ablue et in tegula loco tepido sicca.

Sit pulvis albus, acidum valerianicum redolens, in aqua non solubilis, in acido hydrochlorico et acido nitrico solubilis; solutio acido nitrico effecta ne baryo

chlorato neve argento nitrico turbetur. *Gramma unum* pulveris acido nitrico saepius humectatum aestu circiter *0,79 grammatis* bismuthi oxydati praebeat.

Borax.

Borax.

Natrum biboricum s. biboracicum.

Frusta alba, dura, crystallina aut crystalli prismaticae, in aquae frigidae partibus duodecim vel quindecim et in aquae ebullientis partibus duabus solubiles, solutionem coloris expertem, chartam exploratoriam flavam fuscantem praebentes.

Solutio boracis aqua hydrosulfurata et natro carbonico ne mutetur atque aqua destillata amplius diluta ne baryo chlorato neve argento nitrico turbetur, vel praecipitatum exinde forsan exortum acido nitrico addito evanescat.

Bromum.

Brom.

Liquidum e rubro subnigrum, odore acerrimo, peculiari, chloro simili insigne, ponderis specifici 2,95 ad 3,00, calore 58 ad 63° ebulliens, sed etiam temperatura ordinaria vapores rutilantes, oculos organaque respiratoria perniciose afficientes, emittens, in aquae triginta duabus partibus, facile in spiritu et aethere solubile.

Liquore natri caustici plane solvatur, quae solutio, admixta acidi nitrici fumantis copia paullum superabun-

dante, carboneum sulfuratum, quod cum illa conquassatur, violaceum ne tingat.

In lagena epistomio vitreo artissime clausa, in vase altero majore, vitreo vel metallico inclusa **caute** servetur.

Bulbus Scillae.

Meerzwiebel.

Scilla maritima *Linn.* (Urginea Scilla *Steinheil*).

Bulbi squamae intermediae concisae, in sicco corneae, diaphanae, albidae, saporis mucilaginei, nauseosi, amari.

Squamae fuscae, tenaces vel humidae rejiciendae.

Cadmium sulfuricum.

Schwefelsaures Kadmiumoxyd.

Crystalli coloris expertes, pellucidae, prismaticae, in aëre fatiscentes, in aqua facile solubiles.

In aqua solutum, admixta acidi hydrochlorici parva copia, tum aqua hydrosulfurata affusa, demittat praecipitatum citrinum, quod liquore ammonii caustici ne solvatur. Praecipitatione hoc modo plane perfecta, liquor filtratus et evaporatus residuum nullum relinquat.

In vasis bene clausis servetur.

Calcaria carbonica praecipitata.

Pulvis albus crystallinus, in aqua non solubilis, in acido acetico diluto, acido hydrochlorico vel acido nitrico cum effervescentia plane solubilis.

Cum aqua conquassata praebeat filtratum, quod argento nitrico vix paullum turbetur et post evaporationem residui nihil relinquat.

Calcaria chlorata.

Chlorkalk.

Calcaria hypochlorosa. Calx chlorata.

Pulvis albus vel albidus, chlorum modice redolens, in aqua ex parte solubilis, calcariam hydricam relinquens, acido hydrochlorico superfusus chlorum gasiforme abunde emittens.

Partes centum calcariae chloratae cum aqua contritae atque cum ferri sulfurici puri partibus centum et nonaginta sex (196) aqua solutis, dein inter agitationem paullatim cum acido hydrochlorico commixtae praebeant filtratum, quod ferrum oxydulatum amplius ne contineat neve kalio ferricyanato colore caeruleo inducatur; praebeat igitur calcaria chlorata minimum *viginti quinque partes* chlori efficacis in *centum partibus*.

In vasis bene clausis, a luce remotis, servetur.

Calcaria phosphorica.

Phosphorsaure Kalkerde.

R. **Calcariae carbonicae nativae** *partes viginti*. . . 20.
Solutae in
Acidi hydrochlorici, ... 50.
Aquae destillatae, singulorum *partibus quinquaginta* 50.
subsidant per aliquot horas et decanthentur.
Liquori, si ferro inquinatus est, adde
Calcariae chloratae *partem unam*, ... 1.

cum aqua ad pultem redactam, et digere per aliquot horas, tum instilla

Liquoris Ammonii caustici *circiter partes duas* . 2.

vel tantum, ut paullum praevaleat, et filtra.
Liquori filtrato admisce inter agitationem

Natri phosphorici *partes quinquaginta*, ... 50.

solutas in

Aquae destillatae *partibus trecentis*. . . . . 300.

Praecipitatum inde exortum post aliquot horas in filtro collige, aqua ablue et leni calore sicca.

Sit pulvis levis, splendide albus, in aqua non solubilis, in aqua acidum carbonicum continente paullulum, in acido acetico haud facile vel ex parte sine effervescentia solubilis. Acido nitrico sine effervescentia plane solvatur, quae solutio cum argento nitrico levissimam, cum baryo chlorato turbationem nullam gignat, et cum ammonio sulfurato, admixto liquore ammonii caustici superabundante, praecipitatum album, neutiquam colore imbutum praebeat.

Calcaria sulfurica usta.

Gebrannter Gyps.

Gypsum ustum.

Sit pulvis albus amorphus, qui aquae parte dimidia admixta in pultem redactus post aliquot momenta temporis solidescat.

In vasis bene clausis servetur

Calcaria usta.

Gebrannter Kalk.

Calcaria. Calx viva.

Massa albida densa; aquae circiter dimidia parte conspersa valde incalescit et in pulverem album dilabitur, cum aquae copia majore pultem crassam reddit. Haec puls acido nitrico diluto vix sine ulla effervescentia solvatur, minorem copiam non solutam relinquens, quae solutio liquore ammonii caustici saturata ammonio sulfurato minime aut parce mutetur.

In vasis bene clausis servetur.

Camphora.

Kampfer.

Camphora officinarum *Nees* (Laurus Camphora *Linn.*).

Frusta alba, pellucida, fractura angulosa et irregularia, lamellata, nitida, tenacia, spiritu conspersa friabilia, in mercatura occurrentia in placentis orbicularibus supra convexis, subtus concavis, odore fragrantissimo, proprio, aromatico, in lingua sensum frigoris relinquentia. Incensa liquescunt, avolant et flamma lucida fumoque denso deflagrant. Non aqua, facile spiritu, aethere, acido acetico, oleis pinguibus et aethereis solvuntur.

In vasis bene clausis servetur.

Cantharides.

Spanische Fliegen.

Canthariden. Muscae Hispanicae.

Lytta vesicatoria *Fabricius.*

Coleoptera sesqui- fere ad tres centimetros longa, ex aureo viridia, splendentia, antennis filiformibus nigris instructa; odoris ingrati.

Mensibus Junio et Julio colligi possunt, cito et bene exsiccata in vasis clausis **caute** serventur.

Carbo animalis.

Thierkohle.

Fleischkohle. Carbo Carnis.

Carnem vitulinam a pinguedine liberam, in frustula dissectam, cum tertia circiter parte ossiculorum torre in vase idoneo tecto, quamdiu vapores flammas concipientes exeunt. Tum residuum refrigeratum in pulverem redige et in vase vitreo clauso serva.

Sit pulvis e fusco niger, paullulum nitens, odoris vix empyreumatici, in aestu rutilo sine flamma excandescens. Acido hydrochlorico ex parte solvitur, liquorem filtratum praebens, qui liquore ammonii caustici admixto calcariam phosphoricam prodat.

Carbo pulveratus.

Holzkohle.

Carbo praeparatus.

Carbones e ligno levi recandescant, quamdiu flammas et fumum spargunt, tum in vase clauso exstinguantur. A cineribus liberati, adhuc calentes in pulverem subtilissimum redigantur, qui in vase bene clauso statim servetur.

Sit pulvis niger, siccus, insipidus; in aestu sine flamma candescat.

Carboneum sulfuratum.

Schwefelkohlenstoff.

Alcohol Sulfuris.

Liquor coloris expers, lucem maxime refringens, odoris gravis peculiaris, in aqua vix, in spiritu, aethere et oleis facillime solubilis, ponderis specifici 1,272, calore 46° ebulliens, perfecte volatilis, incensus flamma caerulea in acidum carbonicum et sulfurosum deflagrans.

Chartam exploratoriam aqua humectatam ne mutet; plumbum aceticum solutum cum carboneo sulfurato conquassatum ne coloretur.

In vasis bene clausis loco frigido servetur.

Caricae.

Feigen.

Fructus Caricae. Fici.

Ficus Carica *Linn.*

Receptacula piriformia, fructifera carnosa, vertice umbilicato, drupis exiguis creberrimis repleta; saporis grate dulcis.

Caricae magnae, valde carnosae, perdulces, vulgo Smyrnaeae, praeferantur; nimis exsiccatae, subnigrae, fere insipidae, acidulae vel austerae, ab insectis corrosae rejiciantur.

Carrageen.

Irländisches Moos.

Perlmoos. Knorpeltang. Caragaheen. Fucus crispus.

Chondrus crispus *Lyngbye* (Fucus crispus *Linn.*) etc.

Thallus planus vel canaliculatus, dichotomus, laciniis linearibus vel cuneatis, in sicco cartilagineus, coloris ex subflavo albi, cum aqua coctus post refrigerationem gelatinam praebens.

Caryophylli.

Gewürznelken.

Caryophylli aromatici.

Caryophyllus aromaticus *Linn.*

Alabastri hypanthio cylindrico-subtetragono, glanduloso; calyce quadripartito corollaque clausa, subglobosa, caduca, genitalia includente coronato; coloris

fusci; odoris fragrantissimi; manducati os vehementer urentes.

Sint Caryophylli ponderosi, aqua graviores et inter digitos pressi exsudent oleum aethereum; acidi, pallidi, corrugati rejiciantur.

Castoreum Canadense.

Canadisches Bibergeil.

Castoreum Anglicum vel Americanum.

Castor Americanus *Cuvier*.

Folliculi Sibiricis similes, membranis exterioribus arcte adnatis, haud separabilibus instructi, massa subresinosa, duriore, fractura nitente, odoris tenuioris repleti.

Cave ne confundantur cum folliculis factitiis, e resina membranis modo involuta confectis.

Castoreum Sibiricum.

Sibirisches Bibergeil.

Castoreum Moscoviticum, Rossicum, Polonicum, Germanicum, Europaeum.

Castor Fiber *Linn*.

Folliculi, saepe duo plus minusve inter se conjuncti, glabri, obovati, intense fusci, membranis exterioribus duabus crassioribus, facile separabilibus, interioribus duabus tenuioribus, lamellatim cavum castoreo ipso repletum trajicientibus. Hoc massam praebet compactam, recentem e flavo fuscam, paullum unguinosam, siccam fuscam, opacam, friabilem, cum acidis effervescentem, odoris peculiaris gravis.

Catechu.

Katechu.

Pegu-Katechu. ***Terra Japonica.***

Acacia Catechu *Willdenow.*

Massae irregulares, foliis involutae et ab iis persectae, extrinsecus coloris saturate hepatici, intus aequaliter ex atro fusci, porosae, splendentes; odoris expertes, saporis subamari, valde adstringentis; in aqua ex parte, in spiritu perfecte solubiles.

Catechu Gambir, ut dicunt, in frustis cubicis, colore saturatius fusco, fractura opaca et luti colore, aut in massis, quae nunquam aequaliter coloratae sunt, sed partim hepaticae partim ex atro fuscae, fractura opaca terrea, rejiciendum est. Nec minus e seminibus Arecae Catechu *L.* paratum Catechu, quod in planis orbicularibus placentis occurrit, intus ex atro fuscis, splendentibus, extrinsecus paleis Oryzae sativae *L.* conspersis.

Cera alba.

Weisses Wachs.

Frusta alba, fragilia, in stratis tenuioribus diaphana, ponderis specifici = 0,97, calore infra 63 vel 64° haud liquescentia, ceterum cerae flavae naturam referentia.

Cave ne paraffino, acido stearinico, cera Japonica vel vegetabili et aliis pinguibus sit adulterata.

Cera flava.

Gelbes Wachs.

Cera citrina.

Apis mellifica *Linn.*

Massa plus minusve flava, fractura granulosa, manus calore mollescens, odoris proprii mellei, ponderis specifici 0,96, calore 62 vel 63° liquescens, in aetheris partibus viginti calore 15° solubilis.

Prunis injecta cera nidorem pinguedinis ne spargat; in oleo terebinthinae perfecte sit solubilis; spiritu diluto frigido conquassata extractum praebeat filtratum, quod post evaporationem resinam ne relinquat.

Ceratum Aeruginis.

Grünes Wachs.

Grünspancerat. Ceratum viride. Emplastrum viride.

R. **Cerae flavae** *partes duodecim,* . . . . 12.
Resinae Pini *partes sex,* . . . . 6.
Terebinthinae *partes quatuor.* . . . . 4.

Leni calore liquatis colatisque cum cura immisceatur

Aeruginis subtilissime pulveratae *pars una.* . . 1.

Massa semirefrigerata in capsulas chartaceas effundatur.

Sit coloris intense viridis.

Ceratum Cetacei.

Walrathcerat.

Emplastrum Spermatis Ceti. Ceratum labiale album.

R. **Cerae albae,** . . . . 2.
Cetacei, singulorum *partes duas*, ... 2.
Olei Amygdalarum *partes tres*. . . . . 3.

Leni calore colliquatae in cistulas chartaceas effundantur et post refrigerationem dissecentur.

Sit album, non rancidum.

Ceratum Cetacei rubrum.

Rothe Lippenpomade.

Ceratum labiale rubrum.

R. **Olei Amygdalarum** *partes nonaginta*, ... 90.
Radicis Alkannae *partes quatuor*. . . . . 4.

Digere, donec colorem gratum induerint, cola et adde

Cerae albae *partes sexaginta*, ... 60.
Cetacei *partes decem*. . . . . 10.

In vase idoneo liquefactis admisce

Olei Bergamottae, ... 1.
Olei Citri, singulorum *partem unam*, ... 1.

et effunde in capsulas chartaceas.

Sit rubrum, non rancidum.

Ceratum Myristicae.

Muskatbalsam.

Balsamum Nucistae.

R. **Cerae flavae** *partem unam,* . . . . 1.
Olei Olivarum Provincialis *partes duas,* . . . . 2.
Olei Myristicae *partes sex.* . . . . 6.

Liquefiant et in capsulas chartaceas effundantur.

Sit coloris aurantiaci, odoris aromatici.

Ceratum Resinae Pini.

Gelbes Cerat.

Ceratum Picis. Ceratum Resinae Burgundicae. Ceratum s. Emplastrum citrinum.

R. **Cerae flavae** *partes quatuor,* . . . . 4.
Resinae Pini *partes duas,* . . . . 2.
Sebi, ... 1.
Terebinthinae, singulorum *partem unam.* . . . . . 1.

Liquefactas in cistulas chartaceas effunde.

Sit tenax, coloris flavi.

Cerussa.

Bleiweiss.

Plumbum carbonicum s. hydrico-carbonicum.

Massa ex parte pulveri similis, ponderosa, albissima, digitos inquinans, non in aqua, sed in acido nitrico vel acetico diluto sub effervescentia plane solubilis.

Solutio acido acetico diluto effecta aqua hydrosulfurata colore fusco praecipitetur, filtratum natro carbonico ne turbetur.

Caute serva.

Cetaceum.

Walrath.

Sperma Ceti.

Physeter macrocephalus *Linn.* aliaeque species Physeteris.

Massae irregulares, albissime nitentes, lamellosae, tactu subpingues lubricae, subdiaphanae, odoris tenuis, saporis mitis, ponderis specifici 0,94 vel 0,95, calore 45 ad 50° liquescentes, in spiritu calido et aethere solubiles.

Cetaceum rancidum subflavum rejiciatur.

Cetaceum saccharatum.

Walrathzucker.

Präparirter Walrath. Cetaceum cum Saccharo. Cetaceum praeparatum.

R. **Cetacei** *partem unam,* . . . . **1.**
Sacchari albissimi pulverati *partes tres.* . . . . . **3.**

Sedulo terendo mixtae fiant pulvis subtilissimus.

Charta nitrata.

Salpeterpapier.

R. **Kali nitrici** *partem unam.* . . . . **1.**
Soluta in
Aquae destillatae *partibus quatuor* . . . . **4.**
charta bibula imbuatur, quae siccetur.

Charta resinosa.

Gichtpapier.

Charta antirrheumatica s. antarthritica.

R.	**Picis nigrae**, ...	6.
	Terebinthinae, singularum *partes sex*, ...	6.
	Cerae flavae *partes quatuor*, ...	4.
	Colophonii *partes decem*.	10.

Leni igne colliquatae et cum cura colatae chartae illinantur.

Sit fuscum, nitens, cuti bene adhaerens.

Chininum.

Chinin.

Pulvis amorphus, albus, saporis peramari, reactionis alkalinae, solubilis in aquae frigidae mille ducentis partibus, in aquae fervidae ducentis quinquaginta partibus, facilius solubilis in spiritu, difficilius in aethere. Cum aqua calefacta conglobatur et parietibus vasis adhaerescit. Ignitus facile carbonescit et sine residuo deflagrat. Aqua acido sulfurico acida facta facile solvitur, quae solutio, vel maxime diluta, fluorescit. Primum aqua chlorata, deinde liquore ammonii caustici superabundante commixta, illa solutio colorem viridem accipit.

Chininum et sales chinini acido sulfurico concentrato superfuso ne colorem rubrum induant. Cum lacte calcareo calefacta odorem ammoniacalem ne spargant.

Acido quovis diluto solutum liquore ammonii caustici

addito praecipitatum exhibet, quod aethere statim affuso post conquassationem evanescat, ita ut liquor e stratis duobus constans perfecte limpidus prodeat.

Chininum bisulfuricum.

Chininum sulfuricum acidum.

Crystalli prismaticae, albae, nitentes, saporis peramari, in aquae octo vel decem partibus nec non in spiritus partibus duabus solubiles, reactionis acidae. Puritas ut in chinino examinetur.

Chininum ferro-citricum.

Citronensaures Eisen-Chinin.

R. **Acidi citrici** *partes sex* . . . . 6.
Aquae destillatae *partibus centum* . . . . 100.
solutis adde
Ferri pulverati *partes tres* . . . . 3.
Leni calore solutio fiat et evolutione gasis hydrogenii finita filtretur. Liquori filtrato evaporando ad ponderis sui *quadrantem* redacto admisce
Chinini *partem unam*, ... 1.
tum liquor ad syrupi spissitudinem evaporatus penicilli ope laminis vitreis vel patinis porcellaneis illinatur et loco tepido exsiccetur

Sint lamellae nitentes, diaphanae, coloris e rubro fusci, saporis amari, ferruginei, in aqua facile, difficulter in spiritu solubiles. Solutio aquosa tam kalio ferrocyanato quam kalio ferricyanato addito praecipitatum coloris saturate caerulei demittat.

Chininum hydrochloricum.

Salzsaures Chinin.

Chininum hydrochloratum s. muriaticum.

Crystalli albae, nitoris sericei, plerumque fasciculatim dispositae, saporis peramari, in aquae frigidae circiter viginti partibus nec non in spiritus partibus duabus vel tribus solubiles.

Solutio e parte una salis et aquae partibus centum effecta acido sulfurico nullo modo, baryo chlorato vix paullulum turbetur. Puritas ut in chinino examinetur.

Chininum sulfuricum.

Crystalli aciculares niveae, nitoris sericei, tenuissimae, flexibiles, saporis peramari, in aquae frigidae partibus circiter octingentis, in aquae ebullientis partibus triginta nec non in spiritus partibus sexaginta solubiles, facillime in aqua cum acido quovis mixta, in aethere difficilius solubiles.

Chinini sulfurici grammata duo in vitro cylindrico aquae destillatae centimetris cubicis viginti calore 15° superfusa fortiter quassentur, ut liquorem emulsioni similem exhibeant. Maceratione calore 15° per horam dimidiam peracta filtretur. Hujus liquoris filtrati centimetri cubici quinque in vitrum probatorium infundantur, tum liquoris ammonii caustici centimetri cubici septem tam accurate addantur, ut alter liquor alteri quam minime immisceatur. Tum vitro digito occluso et leniter

versato liquor illico vel paullo post perfecte limpidus prodeat.

Ceterum puritas ut in chinino examinari potest.

In vasis bene clausis servetur.

Chininum tannicum.

R. **Chinini sulfurici** *partem unam.* . . . . 1.

In

Aquae destillatae *partibus triginta* . . . . 30.

guttarum ope nonnullarum acidi sulfurici diluti solutae paullatim instilla

Acidi tannici *partes tres,* . . . . 3.

Aquae frigidae *partibus triginta* . . . . 30.

antea solutas. Tum sepone loco frigido, ut praecipitatum subsidat, quod in filtro collectum et aquae parva copia ablutum calore lenissimo siccetur.

Sit pulvis flavescens amorphus, odoris peculiaris, saporis amari, adstringentis, in spiritu difficile, in aqua difficillime solubilis; cum aqua calefactus conglobetur.

Chininum valerianicum.

Crystalli albae, nitentes, saporis peramari, leviter acidum valerianicum redolentes, neutrales, in aquae frigidae circiter partibus centum, in aquae fervidae partibus quadraginta, in spiritus partibus sex, in aethere difficilius solubiles. Solutio aquosa cum acido sulfurico diluto commixta fluorescit.

Aqua solutum baryo chlorato ne vel levissime turbetur.

In vasis bene clausis servetur.

Chinoidinum.

Chinoidin.

Chinioideum.

Massa fusca vel e nigro fusca, fragilis, resinae similis, fractura conchata nitente, saporis amari, in aqua paullum, in spiritu et in acidis aqua dilutis facile solubilis.

Cum aqua fervida contritum praebeat filtratum decolor, quod liquore kali caustici ne coloretur. Quantitas cineris, quem in aëre combustum relinquit, sit minima.

Chloralum hydratum crystallisatum.

Krystallisirtes Chloralhydrat.

Crystalli siccae, pellucidae, coloris expertes, odoris aromatici, calore paullum pungentis, saporis amaricantis, leviter caustici, in aqua facile, guttas oleo similes nullas secernentes, et in spiritu, aethere, aethere petrolei, benzino, carboneo sulfurato solubiles; calore 56 ad 58° in liquidum transeunt, quod calore circiter 15° rigescit, calore circiter 95° ebullit et plane avolat.

Cum liquore kali caustici calefactum praebeat solutionem turbidam, quae chloroformium decolor demittens mox limpida fiat. Cum acido sulfurico calefactum destruitur, chloralum secernens, liquor autem ne colorem fuscum trahat. In aqua solutum sit reactionis nullius et paullo acidi nitrici addito argento nitrico admixto ne argentum chloratum demittat. In aëre ne humescat.

In vasis bene clausis servetur.

Chloroformium.

Chloroform.

Formylum trichloratum.

Liquor limpidus, coloris expers, plane avolans, ponderis specifici 1,492 ad 1,496, odoris peculiaris, saporis subdulcis, in aqua paullulum, in spiritu, aethere et oleis facile solubilis, calore 61 vel 62° ebulliens.

Aqua destillata cum chloroformio conquassata chartam exploratoriam caeruleam ne permutet, neve argento nitrico turbetur. Chloroformium instillatum in kalium jodatum, aquae vigintuplo solutum, ne rubescat.

In vasis denigratis optime clausis **caute** servetur.

Cinchoninum.

Crystalli albae, saepe crassiores, nitentes, reactionis alkalinae, saporis primum parum distinguendi, postea peculiariter amari, in aqua paullum, in spiritu et chloroformio facilius solubiles, in aethere fere non solubiles; ignitae carbonescentes et plane deflagrantes.

Acidis aqua dilutis facile solvuntur, quae solutiones ne fluorescant, cum aqua chlorata, dein liquore ammonii caustici superabundante commixtae colorem viridem ne trahant, neve cum liquore ammonii caustici dein aethere conquassatae cinchoninum praecipitatum resolvant.

Cinchoninum sulfuricum.

Crystalli albae, prismaticae, durae, saporis peramari, in aquae circiter sexaginta partibus, in spiritus circiter

septem partibus solubiles, in aethere non solubiles; aqua cum acido quovis mixta facile solvuntur. Solutio aquosa est reactionis paullum alkalinae; ceterum reactiones salium cinchonini praebeat.

Coccionella.

Cochenille.

Coccus Cacti *Linn.*

Granula ooïdea, subtus plana vel concava, supra convexa, transversim rugosa, ex atro purpurea vel grisea, pulvere albido adspersa, trita pulverem ex rubro subnigrum praebentia, spiritum colore rubro tingentia.

Plumbum fraudulenter immixtum triturando cum aqua dignoscitur.

Codeïnum.

Crystalli albae vel e flavescente albae, saepe evidenter rhombicae, reactionis alkalinae, saporis amaricantis, cum aqua coctae ante solutionem liquescentes, in aquae frigidae partibus octoginta, facilius in spiritu et aethere solubiles. Liquore ammonii caustici pari modo atque aqua, liquore kali caustici autem parce, acidis aqua dilutis facile solvuntur. Cum acido sulfurico concentrato solutionem initio decolorem, tum admixta ferri sesquichlorati soluti copia valde exigua caerulescentem praebent. Ignitae carbonescunt et plane deflagrant.

In vasis bene clausis **caute** servetur.

Coffeïnum.

Kaffeïn.

Theïnum.

Crystalli coloris expertes, sericei nitoris, tenerae, graciles, saepius longissimae, neutrales, saporis amariusculi, in aquae frigidae circiter centum partibus, in spiritus absoluti centum et sexaginta partibus, in aetheris trecentis partibus solubiles. Aqua fervida largiter solvuntur, ita ut solutio fervida saturata refrigescens in pultem crystallinam obrigescat. Cum aqua chlorata evaporatae vel cum acido nitrico concentrato mixtae destruuntur, tum leni calore evaporatae massam flavam relinquunt, quae liquore ammonii caustici humectata colore e purpureo rubro inficitur. Calefactae plane avolant.

Colla piscium.

Hausenblase.

Ichthyocolla.

Acipenser Huso *Linn.* et aliae species generis Acipenseris.

Membranae subcorneae vel in lamellis vel in annulis lyrae forma contortis, albidi coloris, tenaces, diaphanae, iridescentes, saporis odorisque expertes, in aqua et spiritu diluto bullientibus fere plane solubiles. Solutio post refrigerationem gelatinam praebeat.

Flava, fusca, in aqua parum solubilis colla removeatur.

Collodium.

Collodium.

R. **Gossypii** *partem unam,* . . . . 1.
Acidi nitrici, ponderis specifici 1,420,
partes septem, ... 7.
Acidi sulfurici, ponderis specifici 1,833,
partes octo, ... 8.
aut si acidum nitricum illius ponderis praesto non est:
Acidi nitrici, ponderis specifici 1,382
ad 1,390, *partes octo,* . . . . 8.
Acidi sulfurici, ponderis specifici 1,833,
partes viginti. . . . . 20.

Acidum nitricum misceatur cum acido sulfurico, mixta usque ad aëris temperaturam refrigerentur, tum gossypium sic immittatur, ut acido totum imbuatur, quocum per horas duodecim ad viginti quatuor seponatur. Deinde massam compactam exime, exemtam aqua destillata optime elue, exprime et sicca.

Hujus praeparati **pars una** cum **Aetheris partibus duodeviginti** et **Spiritus partibus tribus** commixtis conquassetur, deinde subsidat et solutum limpidum a sedimento defundatur.

Sit spissitudinis syrupi; servetur in vasis bene clausis.

Collodium cantharidatum.

Blasenziehendes Collodium.

Collodium cantharidale. Collodium vesicans.

Paretur ut **Collodium**, sed loco **aetheris** adhibeatur **Aether cantharidatus**, hoc modo parandus:

R. **Cantharidum grosso modo pulveratarum**
partes quatuor, ... 4.
Aetheris *partes sex*. . . . . 6.

Post macerationem colaturae sint *partes quatuor*, . . 4.
quae in vase bene clauso serventur.

Sit liquor limpidus, coloris e fusco subviridis.

Collodium elasticum.

Elastisches Collodium.

Collodium flexile.

R. **Collodii** *partes quinquaginta*, ... 50.
Olei Ricini *partem unam*. . . . . 1.

Misce conquassando.

Colophonium.

Geigenharz.

Kolophonium. Resina Colophonium.

Resina ex albido flava vel ex flavo fusca, diaphana, fragilis, facile friabilis, fractura late planeque conchata, odoris et saporis fere expers, calore 135° liquescens, in spiritu, aethere, oleis pinguibus et aethereis facile solubilis.

Conchae praeparatae.

Präparirte Austerschalen.

Conchae aqua communi decoquantur, scopis setaceis a quisquiliis mundatae et bene ablutae siccentur, tum pulveratae laevigentur.

Sit pulvis albus, subtilissimus. Cum acido hydrochlorico affuso effervescat, et solutio inde effecta ammonio caustico praecipitatum exiguum praebeat.

Coniinum.

Liquor coloris expers vel flavescens, oleo similis, odoris peculiaris penetrantis, ponderis specifici 0,89, qui cum quavis copia spiritus, aetheris, chloroformii, oleorum misceri potest, in aquae frigidae centum partibus solubilis.

Solutio aquosa, reactionis alkalinae, calefacta turbetur, refrigerata denuo limpida fiat. Aqua cum acidi hydrochlorici paullo mixta facile solvatur, quae solutio cum platino bichlorato nullum praecipitatum praebeat. Calefactum ne turbetur. Aestu sit plane avolans.

In vasis bene clausis, a luce remotis, **cautissime** servetur.

Cortex Cascarillae.

Kaskarillrinde.

Croton Eluteria, Croton Cascarilla ***Bennett.***

Cortex durus, in fragmentis canaliformibus vel involutis, ad duos millimetros usque crassis, peridermate tenui,

extrinsecus candicante, rimis decussatis sulcato, saepe jam ex parte delapso; cortice interiore extrinsecus pariter rimoso, crassiore, coloris ex rubente fusci, fractura cornea, in segmento transverso radiatim striato, radiis ad fasciculos cuneatos congestis; manducatus os urens, saporis amari, odoris aromatici. Rejiciantur ramuli intermixti.

Cortex Chinae Calisayae.

Kalisayarinde.

Königschina. ***Cortex Chinae regius.***

Cinchona Calisaya *Weddell.*

Liber trunci planiusculus, unum ad duos centimetros crassus, e rufo flavus, in segmento transverso cellulis fibrosis intra parenchyma dissociatis, sed radiatim ordinatis, extrinsecus lacunis superficialibus magnis, leviter conchatis, acute marginatis vel saepe et ex parte rhytidomatis squamis duris instructus, e stratis alternis coloris austerioris et pallidioris formatis, fractura aequaliter brevissime rigideque fibrata, superficie intima laevi, cellulis fibrosis exsertis micante. Praeferatur cortex, quem dicunt Bolivianum, cui est monopolium. Ne commutetur cum cortice utroque chinae flavo neve cum rubiginoso aut Pitoyensi e Nova Granada advectis. Contineat basium cortici chinae propriarum minimum *partes duas* in *centum partibus.*

Cortex Chinae fuscus.

Braune Chinarinde.

China grisea.

Cinchona micrantha *Ruiz et Pavon* et aliae species generis Cinchonae.

Cortex ramorum ad tres millimetros fere crassus, in frustis convolutis a pennae anserinae crassitudine ad illam digiti minoris, strato medio circulo resinoso fere nigro, fractura extrorsum laevi, introrsum fibrata. Adhibeantur cortex de Huanoco dictus, coloris cinnamomei, superficie hinc inde alba, rimis longitudinalibus frequentibus, transversis paene nullis, et cortex, quem dicunt, de Loxa, coloris fusci, superficie cinerea, rimis transversis frequentibus, remotioribus. Rejiciantur cortices deterioris conditionis, superficie laevissima aut squamose rugosa, coloris hepatici aut extrinsecus nigricantis, circulo nigricante intracorticali deficiente.

Cortex Chinae ruber.

Rothe Chinarinde.

Cinchona succirubra *Pavon* et altera non satis nota species.

Frusta plana vel subcanaliformia, dimidium ad duos centimetros crassa, rhytidomate saturate ex fusco rubro, verrucis ovalibus obtecto, frequenter per longitudinem sulcato aut suberoso aut duro; libro crasso, ex subfusco rubro, fibroso, fractura assulatim fibrata, in segmento transverso intra parenchyma cellulis fibrosis radiatim

seriatis. Manducatus cortex adstringens, saporis peramari. Rejicienda sunt frustula tenuia, convoluta, levia, pallidiora.

Ne commutetur cum cortice Chinae rubiginoso magis fibroso, coloris subaurantiaci.

Cortex Cinnamomi Cassiae.

Zimmtkassie.

Chinesischer Zimmt. Cortex Cinnamomi Chinensis.

Cinnamomum Cassia *Blume.*

Cortex ramorum interior simpliciter convolutus, ad sesqui millimetrum crassus, coloris e flavo fusci, fibris sparsis in superficie parum conspicuis pallidioribus, fractura subaequabili; odoris suavis, manducatus os urens, non mucilaginosus, adstringens, saporis subdulcis.

Cortex Cinnamomi Zeylanici.

Zeylonzimmt.

Cinnamomum acutum. Cortex Cinnamomi acuti.

Cinnamomum Zeylanicum *Breyn* (Laurus Cinnamomum *Linn.*).

Cortex interior ramulorum compluries convolutus, tenuissimus, fragilis, coloris pallide ex flavo fusci, fibris sparsis in superficie conspicuis pallidioribus, fractura dense fibrosa; odoris fragrantis peculiaris, grati, saporis dulcis, manducatus urens et paullum tantum adstringens.

Cortex Frangulae.

Faulbaumrinde.

Cortex Rhamni Frangulae.

Rhamnus Frangula *Linn.*

Cortex convolutus, ad millimetrum crassus, extrinsecus canus vel e cano fuscus, verrucis parvis, albis, saepissime transverse porrectis obsitus, vetustior subrimosus, strato suberoso tenuissimo, intus purpureo, se desquamante obtectus, intus ex fuscescente flavus, superficie intima laevigata, rufa, fractura fibrata, fibris citrinis.

Colligatur cortex fruticis indigeni vere e trunco juniore et ramis validioribus.

Cortex Fructus Aurantii.

Pomeranzenschale.

Cortex Pomorum Aurantii.

Citrus vulgaris *Risso.* α. amara *Linn.*

Cortex fructus maturi in segmentis ellipticis, quartam pericarpii partem sistentibus, siccatus e flavo fuscus, glandulosus, intus spongiosus, albus; saporis amari, odoris suavis.

Cortex nonnisi a strato interiore liberatus seu **flavedo** adhibeatur; huic flavedini cortex Aurantii Curassavicus tenuior, durior, extrinsecus sordide viridis ne substituatur, neve commutetur cum pericarpio Citri Aurantii *Risso*, coloris aurantiaci et odore quoque differente.

Cortex Fructus Citri.

Citronenschale.

Citrus Limonum *DC.* et Citrus medica *Linn.*

Cortex fructus maturi siccatus in frustis spiralibus occurrens, extrinsecus citrinus, glandulosus, strato interiore spongioso, albo, tenui; odoris grati, saporis subamari.

Cortex Fructus Juglandis.

Grüne Wallnussschale.

Cortex Nucum Juglandis.

Juglans regia *Linn.*

Pericarpium drupae maturae exterius recens, a putamine osseo facile secedens, carnosum, extrinsecus viride, intus albidum, subspongiosum, cutem colore fusco tingens; odoris aromatici, saporis subadstringentis, amari, subaciduli.

Cortex Mezerei.

Seidelbastrinde.

Kellerhalsrinde.

Daphne Mezereum *Linn.*

Cortex in fasciis elongatis, tenuibus; peridermate subfusco, facile separabili; cortice medio tenui, viridi; libro tenacissimo, flexili, subtiliter fibrato, bombycino, coloris ex subflavo albidi; peracer.

Colligendus cortex primo vere e trunco et ramis validioribus.

Corticem Daphnes Laureolae *L.* libro viridi ab illo differentem item licet adhibere.

Cortex Quercus.

Eichenrinde.

Quercus pedunculata *Ehrhart* et Quercus sessiliflora *Martyn.*

Cortex ad duos millimetros crassus, extrinsecus fragilis, intrinsecus tenax, fasciatim fibratus; peridermate tenuissimo, separabili, nitido, coloris e cano argentei; cortice medio fusco; libro fuscescente vel flavescente, in segmento transverso anguste tessellato, postea in fascias tenues, angustas, flexibiles distracto; manducatus adstringens, saporis amari.

Colligendus verno tempore cortex trunci junioris vel ramorum nonnimis vetustorum arborum in Germania frequentium.

Cortex Radicis Granati.

Granatwurzelrinde.

Punica Granatum *Linn.*

Frusta canaliculata vel convoluta variae magnitudinis, vix ultra sesqui millimetrum crassa, extrinsecus verrucose exasperata, plus minusve rimosa, ex griseo et subfusco flava, intus e subviridi flava, nec radiatim striata, superficie intima pallide cinnamomea, laevia vel assulis tenuibus, e flavescente albis adhaerentibus instructa, fractura aequabili; manducata adstringentia, saporis subamari.

Crocus.

Safran.

Crocus sativus *Linn.*

Stigmata siccata, circiter tres centimetros longa, tubulosa quidem, sed subcanaliculate compressa, sursum sensim dilatata, crenulata, saturate aurantiaca, saepissime stylo luteo, quantum fieri potest brevi insidentia; odoris fragrantis, saporis subamari, masticatione salivam e luteo rubicundam tingentia.

Servetur Crocus a luce remotus; cave ab adulterato.

Cubebae.

Cubeben.

Baccae v. Fructus Cubebae.

Cubeba officinalis *Miquel* (Piper Cubeba *Linn. fil.*).

Drupae siccatae, duriusculae, pericarpio tenui instructae, subglobosae, monospermae, in basi in stipitem quatuor ad sex millimetros longum attenuatae, reticulatim rugosae; coloris e cinereo saturate fusci; magnitudinem piperis nigri adaequantes; manducatae urentes, odoris fragrantis.

Cuprum aceticum.

Krystallisirter Grünspan.

Aerugo crystallisata.

Crystalli saturate virides, prismaticae, in aëre fatiscentes, saporis tetri metallici, in aquae frigidae partibus

quatuordecim, in aquae ebullientis partibus quinque et in spiritu, acidi acetici parva copia admixta, solubiles.

Liquore ammonii caustici colore intense caeruleo plane solvatur. Solutio aquosa, liquoris natri caustici quantitate superabundante admixta, filtrata aqua hydrosulfurata ne turbetur.

In vasis bene clausis **caute** servetur.

Cuprum aluminatum.

Lapis divinus.

R. **Cupri sulfurici puri,** . . . . **16.**
Kali nitrici, ... **16.**
Aluminis, singulorum *partes sedecim.* . . . . **16.**

Pulveratae misceantur et leni igne in patina porcellanea liquefiant. Ab igne remotis cito admisce

Camphorae tritae *partem unam,* . . . . **1.**

antea commixtam cum

Aluminis pulverati *parte una.* . . . . **1.**

Effunde in vas porcellaneum, et massam refrigeratam in frustula diffringe.

Sit massa ex albo caerulescens, odoris camphoracei, in aquae partibus sedecim residuo minimo solubilis.

In vasis bene clausis **caute** servetur.

Cuprum oxydatum.

Kupferoxyd.

Pulvis niger, nullas partes in aqua solubiles continens, in acido sulfurico diluto perfecte solubilis.

Acido sulfurico concentrato superfusum vapores nitrosos ne emittat. Acido sulfurico diluto solutum, addita aquae hydrosulfuratae quantitate superabundante, filtratum, tum evaporatum residuum ne relinquat.

Caute servetur.

Cuprum sulfuricum ammoniatum.

Ammoniacum cuprico-sulphuricum. Cuprum ammoniacale.

R. **Cupri sulfurici puri** *partem unam.* . . . . 1.

Solve agitando in

Liquoris Ammonii caustici *partibus tribus.* . . . 3.

Liquori filtrato admisce

Spiritus *partes sex.* . . . . 6.

Praecipitatum inde exortum in filtro collige, tum inter chartam bibulam calore non adhibito siccetur.

Sit pulvis crystallinus, saturate caeruleus, in aëre fatiscens, in aquae frigidae sesquiparte solubilis, quae solutio, reactionis alkalinae, sit limpida, majore aquae copia addita fiat turbida.

In vasis bene clausis **caute** servetur.

Cuprum sulfuricum crudum.

Roher Kupfervitriol.

Blauer Vitriol. Vitriolum Cupri.

Crystalli caeruleae, rhomboideo-prismaticae vel frusta crystallina, diaphana, in aquae frigidae partibus quatuor aut in aquae fervidae partibus duabus solubilia.

Liquore ammonii caustici colore saturate caeruleo fere solvatur.

Caute servetur.

Cuprum sulfuricum purum.

Reiner Kupfervitriol.

Crystalli diaphanae, cyaneae, rhomboideae, in aëre sicco lente fatiscentes, in aquae frigidae partibus tribus et dimidia, in aquae fervidae partibus aequalibus solubiles, in spiritu non solubiles.

Solutio aquosa cum ammonio caustico abundante permixta sit coloris saturate caerulei. Solutio aquosa cum acidi sulfurici minore copia, deinde cum aqua hydrosulfurata superabundante mixta praebeat filtratum, quod evaporatum nihil residui relinquat.

Caute servetur.

Decocta.

Abkochungen.

Decocta, ad quae copia substantiarum adhibendarum non praescripta est, ita parentur, ut ex *parte una* substantiae *partes decem* colaturae obtineantur. Ad **decocti concentrati** colaturae *partes decem* parandas adhibeatur substantiae *pars una* et *dimidia*, et ad **decocti concentratissimi** colaturae *partes decem* substantiae *partes duae* sumantur.

Substantiarum majoris efficaciae copia a medico quovis tempore definienda est.

Substantia, ex qua decoctum parandum est, in vase idoneo **aqua frigida** superfundatur et per horam dimidiam in balneo vaporis aquae, interdum agitando, teneatur, tum liquor adhuc **calidus** cum expressione coletur.

De paratione decocti salep conferatur mucilago salep.

Decoctum Sarsaparillae compositum fortius.

Stärkeres Zittmann'sches Decoct.

R. **Radicis Sarsaparillae concisae** *partes centum.* 100.
Superfunde

Aquae communis *partes duo millia et sexcentas* 2600.

et digere per horas viginti quatuor. Tum, additis

Sacchari pulverati, ... 6.

Aluminis pulverati, singulorum *partibus sex*, 6.

stent in balneo vaporis, vase tecto et saepius agitando, per horas tres. Sub finem coctionis adde

Fructuum Anisi vulgaris, ... 4.

Fructuum Foeniculi, singulorum contusorum *partes quatuor*, ... 4.

Foliorum Sennae concisorum *partes viginti quatuor*, ... 24.

Radicis Liquiritiae glabrae concisae *partes duodecim*. . . . . 12.

Exprimendo cola. Colaturae per aliquod tempus sepositae et decanthatae sint *partes duo millia et quingentae*. . . . . 2500.

Si non aliud praescriptum est, colaturae *grammata duo millia et quingenta* in *doses octo* divide.

N. B. Si **Decoctum Zittmanni** praescriptum est, eodem modo paretur, nisi quod saccharo et alumini

Hydrargyri chlorati mitis *partes quatuor*, . . 4.

Hydrargyri sulfurati rubri *pars una*, ... 1.

sacculo linteo inclusae, addantur.

Decoctum Sarsaparillae compositum mitius.

Milderes Zittmann'sches Decoct.

R. **Species ex decocto fortiore residuas,**
Radicis Sarsaparillae concisae *partes quinquaginta.* . . . . 50.

Superfunde
Aquae communis *partes duo millia et sexcentas* 2600.

et sepone in balneo vaporis, vase tecto et saepius agitando, per horas tres. Sub finem coctionis adde
Corticis Fructus Citri, ... 3.
Corticis Cinnamomi Cassiae, ... 3.
Fructuum Cardamomi minoris, ... 3.
Radicis Liquiritiae glabrae, singulorum contusorum *partes tres.* . . . . 3.

Exprimendo cola. Colaturae per aliquod tempus sepositae et decanthatae sint *partes duo millia et quingentae.* . . . . 2500.

Si non aliud praescriptum est, colaturae *grammata duo millia et quingenta* in *doses octo* divide.

Dextrinum.

Dextrin.

R. **Amyli e solani tuberibus** *partes centum et quinquaginta,* . . . . 150.
Aquae destillatae frigidae *partes septingentas et quinquaginta,* . . . . 750.
Acidi oxalici crystallisati *partes quatuor.* . . . 4.

Sedulo mixtae calore balnei vaporis, vase tecto et saepius agitando, calefiant, quamdiu jodo soluto amylum immutatum indicatur. Deinde adde

Calcariae carbonicae praecipitatae

tantum, ut acidum neutralisetur. Tum sepone per dies duos loco frigido, filtra et liquorem limpidum in balneo vaporis evapora, donec massa digito non amplius adhaereat. Haec massa in filis extensa leni calore exsiccetur.

Sit siccum, inodorum, facile friabile, gummi Arabico simile, in aquae pari pondere perfecte solubile, quae solutio cum spiritus dupla quantitate mixta praecipitatum copiosum demittat. Aqua solutum paullo tincturae jodi addito colorem caeruleum ne induat.

In vasis bene clausis servetur.

Elaeosacchara.

Oelzucker.

R. **Sacchari albissimi pulverati** *grammata duo*, . . 2.
Olei aetherei cujuslibet *guttam unam.*

Misceantur.

Electuarium e Senna.

Sennalatwerge.

Electuarium lenitivum.

R. **Foliorum Sennae pulveratorum** *partes decem*, . 10.
Fructuum Coriandri pulveratorum *partem unam.* 1.

Mixtis adde

Syrupi simplicis *partes quinquaginta,* . . . . . . 50.
Pulpae Tamarindorum depuratae *partes quindecim.* . . . . 15.

Calefaciendo in balneo vaporis fiat electuarium spissum, e viridi fuscum, quod loco frigido et sicco servetur.

Electuarium Theriaca.

Theriak.

Theriaca. Electuarium theriacale.

R. **Opii pulverati** *partem unam,* . . . . 1.
Vini Hispanici *partes tres.* . . . . 3.

Macera per diem unum, interdum agitando, tum admisce

Radicis Angelicae pulveratae *partes sex,* . . . . 6.
Radicis Serpentariae pulveratae *partes quatuor,* 4.
Radicis Valerianae pulveratae, ... 2.
Bulbi Scillae, ... 2.
Rhizomatis Zedoariae, ... 2.
Corticis Cinnamomi Cassiae, singulorum **pulveratorum** *partes duas* . . . . 2.
Fructuum Cardamomi minorum, ... 1.
Myrrhae, ... 1.
Ferri sulfurici puri, singulorum **pulveratorum** *partem unam,* . . . . 1.
Mellis depurati *partes septuaginta duas.* . . . . 72.

Fiat electuarium fuscum, quod loco frigido servetur. Partes centum partem unam Opii continent.

Elemi.

Elemi.

Gummi v. Resina Elemi.

Planta ignota in Yucatan indigena.

Massae irregulares, aut solidae aut molles, subdiaphanae, coloris e subviridi citrini aut aurantiaci, odoris gravis peculiaris, facile liquescentes, in spiritu ebulliente solubiles.

Aliae Elemi species et massae frustis corticis inquinatae rejiciendae sunt.

Elixir amarum.

Bitteres Elixir.

R. **Extracti Trifolii,** . . . . 2.
Extracti Aurantii Corticis, singulorum *partes duas.* 2.

Solve in
Aquae Menthae piperitae, ... 16.
Spiritus diluti, singulorum *partibus sedecim,* . 16.

et admisce
Spiritus aetherei *partem unam.* . . . . 1.

Sit liquor intense fuscus.

Elixir Aurantii compositum.

Hoffmann'sches Magenelixir.

Elixir viscerale Hoffmanni.

R. **Corticis Fructus Aurantii** *partes sex,* . . . . . . 6.
Corticis Cinnamomi Cassiae contusi *partes duas,* 2.
Kali carbonici puri *partem unam,* . . . . 1.

Vini Xerensis *partes quinquaginta.* . . . . 50.
Macera per dies octo, tum exprimendo cola.
In colatura solve
Extracti Gentianae, ... 1.
Extracti Absinthii, ... 1.
Extracti Trifolii, ... 1.
Extracti Cascarillae, singulorum *partem unam.* 1.

Postquam liquor subsederit, filtra.

Sit limpidum, coloris fusci, odoris peculiaris aromatici, saporis amari.

In vasis bene clausis servetur.

Elixir Proprietatis Paracelsi.

Saures Aloëelixir.

R. **Aloës,** . . . . 2.
Myrrhae, singularum **grosso modo pulveratarum** *partes duas,* . . . . 2.
Croci pulverati *partem unam.* . . . . 1.
Superfunde
Spiritus *partes viginti quatuor,* . . . . 24.
Acidi sulfurici diluti *partes duas* . . . . 2.
et macera per dies octo, deinde filtra.

Sit coloris e rubro fusci et limpidum.

Elixir e Succo Liquiritiae.

Brustelixir.

Elixir e Succo Glycyrrhizae.

Elixir pectorale.

R. **Succi Liquiritiae depurati** *partes duas*. . . . . . 2.
Solutis in
Aquae Foeniculi *partibus sex* . . . . 6.
admisce
Liquoris Ammonii anisati *partes duas*. . . . . . . 2.

Sit liquor turbidus, fuscus, ante dispensationem agitandus.

In vasis bene clausis servetur.

Emplastrum ad Fonticulos.

Fontanellpflaster.

R. **Resinae Pini** *partes tres*, ... 3.
Sebi *partem unam*, ... 1.
Emplastri Lithargyri simplicis *partes triginta sex*. 36.

Leni igne liquatis obduc aequabiliter linteum tenerum, et hoc, cum charta cerata interposita complicatum, ferro cylindrico centimetrorum trium latitudine pertunde

Sint particulae rotundae, cuti valde adhaerentes.

Emplastrum adhaesivum.

Heftpflaster.

R. **Acidi oleacei crudi** *partes duodeviginti*. . . . . . 18.
Inter assiduam agitationem admixtis
Lithargyri subtilissime pulverati *partibus decem* 10.

in balneo vaporis calefiant, donec fiat emplastrum. Tum liquando admisce

Colophonii *partes tres*, ... 3.

Sebi *partem unam*. . . . . 1.

Sit flavidum et valde adhaerens.

Emplastrum adhaesivum Edinburgense, eadem ratione paretur, nisi quod loco colophonii et sebi sumantur

Picis nigrae *partes tres*. . . . . 3.

Hoc emplastrum sit e nigro fuscum et valde adhaerens.

Emplastrum adhaesivum Anglicum.

Englisches Pflaster.

Taffetas adhaesivum.

R. **Collae piscium** *partes decem*. . . . . 10.

Solve in

Aquae communis fervidae

quantitate sufficiente, ut sint colaturae *partes centum et viginti*. . . . . 120.

Huic solutioni *partibus sexaginta* desumtis ope penicilli saepius inducatur tela bombycina, Taffet dicta, satis expansa, quae, **triginta grammatis collae piscium** adhibitis, longitudinem centum et quatuor (104) centimetrorum, latitudinem quadraginta duorum (42) centimetrorum habeat. Quod inductum fuerit, siccetur.

Partes sexaginta reliquae illius solutionis collae piscium paullatim misceantur cum

Spiritus *partibus quadraginta*, ... 40.

Glycerini *parte una*, ... 1.
qua mixtura tela iterum eodem modo illinatur.

Postremo telae dorsum **Tincturae Benzoës** *quantitate sufficiente* inducatur, tum tela bene siccetur et loco sicco servetur.

Sit splendens, madefactum cuti tenaciter adhaerens.

Emplastrum Ammoniaci.

Ammoniakpflaster.

R. **Cerae flavae**, ... 4.
Resinae Pini, singularum *partes quatuor*. . . . . 4.

Liquefactis, per linteum colatis et semirefrigeratis admisce

Ammoniaci depurati *partes sex*, ... 6.
Galbani depurati *partes duas*, ... 2.

antea in balneo vaporis solutas in

Terebinthinae *partibus quatuor*. . . . . 4.

In bacillos convolvatur.

Sit subviride.

Emplastrum aromaticum.

Aromatisches Pflaster.

Magenpflaster. Emplastrum stomachicum.

R. **Cerae flavae** *partes triginta duas*, ... 32.
Sebi *partes viginti quatuor*, ... 24.
Terebinthinae *partes octo*. . . . . 8.

Liquatis et semirefrigeratis adde

Olei Myristicae *partes sex*, ... 6.
Olibani pulverati *partes sedecim*, ... 16.
Benzoës pulveratae *partes octo*, ... 8.

Olei Menthae piperitae, ... 1.
Olei Caryophyllorum, singulorum *partem unam.* 1.

Intime mixtae in bacillos, in charta cerata servandos, convolvantur.

Sit e griseo fuscum, odoris aromatici.

Emplastrum Belladonnae.

Belladonnapflaster.

R. **Cerae flavae** *partes quatuor,* . . . . 4.
Terebinthinae, ... 1.
Olei Olivarum, singulorum *partem unam.* . . . . . 1.

Liquatis et semirefrigeratis paullatim admisce
Foliorum Belladonnae pulveratorum *partes duas.* 2.

Fiat emplastrum e fusco viride.

Loco sicco servetur.

Emplastrum Cantharidum ordinarium.

Spanischfliegenpflaster.

Blasenpflaster Emplastrum vesicatorium ordinarium.

R. **Cantharidum grosso modo pulveratarum** *partes duas,* . . . . 2.
Olei Olivarum communis *partem unam.* . . . . . 1.

Commixtae per aliquot horas in balneo vaporis seponantur, tum addantur
Cerae flavae *partes quatuor,* . . . . 4.
Terebinthinae *pars una,* . . . . 1.

quae liquefactae bene misceantur. Post refrigerationem in bacillos convolvantur.

Sit emplastrum tactu pingue, molle, particulis viridibus nitentibus aequabiliter dispersis.

Loco sicco servetur.

Emplastrum Cantharidum perpetuum.

Immerwährendes Spanischfliegenpflaster.

R. **Colophonii**, ... 50.
Cerae flavae, singulorum *partes quinquaginta*, . 50.
Terebinthinae *partes triginta septem*, ... 37.
Resinae Pini *partes viginti quinque*, ... 25.
Sebi *partes viginti*. . . . . 20.

Leni calore liquatis admisce
Cantharidum subtilissime pulveratarum *partes duodeviginti*, ... 18.
Euphorbii subtilissime pulverati *partes sex*. . . 6.

Sit emplastrum e subviridi nigrum.

Emplastrum Cerussae.

Bleiweisspflaster.

Froschlaichpflaster. Emplastrum album coctum.

R. **Lithargyri subtilissime pulverati** *partes decem*, 10.
Olei Olivarum *partes viginti quinque*. . . . . . . 25.

Coque in lebete cupreo inter agitationem continuam instillando interdum aquam calidam, donec Lithargyrum solutum fuerit. Tum adde
Cerussae subtiliter pulveratae *partes duodeviginti* 18.
et coque, aquam calidam, ne humor deficiat, modice instillando, ut fiat emplastrum, quod refrigeratum in bacillos convolvatur.

Sit album, ponderosum, durum, calore modico tenax.

Emplastrum Conii.

Schierlingspflaster.

Emplastrum Cicutae.

Paretur ex **Herba Conii** pulverata uti **Emplastrum Belladonnae.**

Emplastrum Conii ammoniacatum.

Emplastrum Cicutae cum Ammoniaco.

R. **Ammoniaci pulverati,** . . . . 2.
Aceti Scillae, singulorum *partes duas.* . . . . 2.

Leni calore ad pultis tenacioris consistentiam inspissatis exacte admisceantur

Emplastri Conii *partes novem.* . . . . 9.

In bacillos convolvatur.

Sit molliusculum, paullum tenax, in fractura sordide viride.

Emplastrum foetidum.

Stinkasantpflaster.

Emplastrum Asae foetidae.

R. **Cerae flavae,** . . . . 4.
Resinae Pini, singularum *partes quatuor.* . . . . 4.

Liquatis, colatis et semirefrigeratis admisce

Asae foetidae pulveratae *partes sex,* . . . . 6.
Ammoniaci pulverati *partes duas,* . . . . 2.

antea in balneo vaporis solutas in

Terebinthinae *partibus quatuor.* . . . . 4.

Fiat emplastrum tenax, subflavum.

Emplastrum fuscum.

Schwarzes Mutterpflaster.

Emplastrum Matris fuscum Ph. Saxon.

R. **Minii subtilissime pulverati** *partes triginta duas,* **32.**
Olei Olivarum *partes sexaginta quatuor.* . . . . **64.**

Coque in lebete cupreo inter continuam agitationem, donec colorem e nigro fuscum induerint, tum adde
Cerae flavae *partes sedecim.* . . . . **16.**

Effunde in capsulas chartaceas.

Sit coloris e nigro fusci, molle et tenax.

Emplastrum fuscum camphoratum.

Universalpflaster.

Schwarzes Mutterpflaster. Nürnberger Pflaster.
Emplastrum nigrum s. universale s. Noricum.
Emplastrum fuscum Ph. Bor.
Emplastrum Minii adustum.

R. **Emplastri fusci** *partes centum.* . . . . **100.**

Liquatis adde
Camphorae *partem unam,* . . . . **1.**

antea in pauxillo olei Olivarum solutam, et effunde in capsulas papyraceas.

Camphoram redoleat.

Emplastrum Galbani crocatum.

Emplastrum de Galbano crocatum.

R. **Emplastri Lithargyri simplicis** *partes viginti quatuor,* . . . . **24.**
Cerae flavae *partes octo.* . . . . **8.**

Liquefactis et semirefrigeratis admisce

Galbani depurati *partes viginti quatuor,* . . . . 24.

antea in balneo vaporis solutas in

Terebinthinae *partibus sex,* . . . . 6.

Croci pulverati *partem unam,* . . . . 1.

cum spiritus parva copia ad pultem contritam.

In bacillos convolvatur.

Sit e flavo fuscum, mollescens.

Emplastrum Hydrargyri.

Quecksilberpflaster.

Emplastrum mercuriale.

R. **Hydrargyri** *partes octo,* . . . . 8.

Terebinthinae *partes quatuor.* . . . . 4.

Hydrargyrum cum terebinthina addita olei terebinthinae aliqua parte exactissime conteratur, deinde inter perpetuam agitationem sensim addantur

Emplastri Lithargyri simplicis *partes viginti quatuor,* . . . . 24.

Cerae flavae *partes sex,* . . . . 6.

antea liquatae.

Fiat emplastrum, quod refrigeratum in bacillos convolvatur.

Sit cinereum, oculo nudo globuli hydrargyri conspicui sint nulli.

Emplastrum Hyoscyami.

Bilsenkrautpflaster.

Paretur e **Foliis Hyoscyami** pulveratis uti **Emplastrum Belladonnae.**

Emplastrum Lithargyri compositum.

Gummipflaster.

Zugpflaster. Emplastrum Plumbi compositum. Emplastrum diachylon compositum.

R.	**Emplastri Lithargyri simplicis** *partes viginti quatuor,*	24.
	Cerae flavae *partes tres.*	3.

Leni calore liquatis et semirefrigeratis adde

Ammoniaci pulverati,	2.
Galbani pulverati,	2.
Terebinthinae, singulorum *partes duas,*	2.

antea in balneo vaporis liquefactas. Misce bene; refrigeratum in bacillos convolvatur.

Sit emplastrum e fusco flavum, tenax.

Emplastrum Lithargyri molle.

Weisses Mutterpflaster.

Emplastrum Matris album Ph. Saxon.

R.	**Emplastri Lithargyri simplicis** *partes tres,*	3.
	Adipis suilli *partes duas,*	2.
	Sebi,	1.
	Cerae flavae, singulorum *partem unam.*	1.

Liquefactae colentur et in tabulas effundantur.

Sit subflavidum.

Emplastrum Lithargyri simplex.

Bleipflaster.

Emplastrum Plumbi simplex. Emplastrum diachylon simplex.

R. **Olei Olivarum,**
Adipis suilli,
Lithargyri subtilissime pulverati, singulorum *partes aequales.*

Coque moderato igne spathula semper agitando et pauxillum **aquae communis** calidae subinde instillando, donec fiat emplastrum, quod refrigeratum in bacillos convolvatur.

Sit album, tenax, non unguinosum, plumbi oxydati non soluti nihil continens.

Emplastrum Meliloti.

Melilotenpflaster.

Paretur ex **Herba Meliloti** pulverata uti **Emplastrum Belladonnae.**

Emplastrum Mezerei cantharidatum.

R. **Cantharidum grosso modo pulveratarum** *grammata triginta,* . . . . **30.**
Corticis Mezerei concisi et contusi *grammata decem,* . . . . **10.**
Aetheris acetici *grammata centum.* . . . . **100.**

Macera saepius agitando per octo dies et exprime. In liquore filtrato solve

Sandaracae *grammata quatuor,* . . . . 4.
Elemi, ... 2.
Colophonii, singulorum *grammata duo.* . . . . 2.

Haec solutio penicilli ope telae bombycinae magnitudine trium millium centimetrorum quadratorum expansae illinatur, quae antea solutione e

Collae piscium *grammatis viginti,* . . . . 20.
Aquae destillatae *grammatis ducentis,* . . . . . 200.
Spiritus *grammatis quinquaginta* . . . . 50.

parata obducta est.

Emplastrum Minii rubrum.

Rothes Mennigepflaster.

Emplastrum s. Ceratum de Minio rubrum.

R. **Cerae flavae,** . . . . 100.
Sebi, singulorum *partes centum,* . . . . 100.
Olei Olivarum Provincialis *partes quadraginta.* 40.

Liquatis et semirefrigeratis admisce

Minii subtilissime pulverati *partes centum,* . . 100.
Camphorae *partes tres,* . . . . 3.

antea cum

Olei Olivarum Provincialis *partibus sexaginta* 60.

conterendo bene mixtas.

Fiat massa aequabilis, quae in capsulas chartaceas effundatur.

Sit coloris rubri, camphoram redolens.

Emplastrum opiatum.

Opiumpflaster.

Hauptpflaster. Emplastrum cephalicum.

R. **Elemi** *partes octo,* . . . . 8.
Terebinthinae *partes quindecim,* . . . . 15.
Cerae flavae *partes quinque.* . . . . 5.
Leni calore colliquatis et colatis admisce
Olibani pulverati *partes octo,* . . . . 8.
Benzoës pulveratae *partes quatuor,* . . . . 4.
Opii pulverati *partes duas,* . . . . 2.
Balsami Peruviani *partem unam,* . . . . 1.
ut fiat emplastrum.
Sit fuscum, tenax.

Emplastrum oxycroceum.

Safranpflaster.

Oxycroceumpflaster. Emplastrum Galbani rubrum.

R. **Cerae flavae,** . . . . 6.
Colophonii, ... 6.
Resinae Pini, singulorum *partes sex.* . . . . . . 6.
Leni igne liquatis et colatis adde
Ammoniaci pulverati, ... 2.
Galbani pulverati, singulorum *partes duas,* . . 2.
antea solutas in
Terebinthinae *partibus tribus.* . . . . 3.
Deinde admisce
Mastiches pulveratae, ... 2.
Myrrhae pulveratae, ... 2.

Olibani pulverati, singulorum *partes duas*, . . . 2.
Croci pulverati *partem unam*, ... 1.
antea contritas. Emplastrum in bacillos convolvatur.
Sit e rubro fuscum, tenax.

Emplastrum Picis irritans.

R. **Resinae Pini** *partes triginta duas*, ... 32.
Cerae flavae, ... 12.
Terebinthinae, singularum *partes duodecim*. . . 12.
In balneo vaporis liquatis admisce
Euphorbii subtilissime pulverati *partes tres*. . . 3.
Fiat emplastrum flavum.

Emplastrum saponatum.

Seifenpflaster.

R. **Emplastri Lithargyri simplicis** *partes septuaginta duas*, ... 72.
Cerae flavae *partes duodecim*. . . . . 12.
Leni igne liquatis et semirefrigeratis agitando admisce
Saponis oleacei pulverati bene sicci *partes sex*, 6.
Camphorae *partem unam* . . . . 1.
in olei **Olivarum** pauxillo solutam. Emplastrum refrigeratum in bacillos convolvatur.
Sit albidum, molliusculum, non lubricum.

Emulsiones.

Emulsionen.

Emulsiones e seminibus parentur, si non aliud praescribitur, e seminis *parte una* . . . . **1.**
et aquae ea quantitate, ut colaturae sint *partes decem* **10.**

Emulsiones oleosae parentur, si non aliud diserte praescribitur, ex

Olei cujuslibet *partibus duabus*, ... **2.**
Gummi Arabici pulverati *parte una*, ... **1.**
Aquae destillatae *partibus septemdecim*. . . . . . **17.**

Nota. Si non aliud praescribitur, ad **Emulsionem oleosam** parandam semper **Oleum Amygdalarum** sumatur.

Emulsio Amygdalarum composita.

Zusammengesetzte Mandelemulsion.

R. **Amygdalarum dulcium** *partes quatuor*, ... 4.
Seminis Hyoscyami *partem unam*. . . . . 1.
Fiat cum
Aquae Amygdalarum amararum dilutae *partibus sexaginta quatuor* . . . . 64.
emulsio, cui addantur
Sacchari optimi pulverati *partes sex*, ... 6.
Magnesiae ustae *pars una*. . . . . 1.

Non nisi ad dispensationem paretur.

Euphorbium.

Euphorbium.

Euphorbia resinifera *Berg*.

Frustula sordide subflava, globose triangularia, a lentis ad nucis avellanae magnitudinem, uno ad tria foramina saepe praedita, friabilia, diaphana, odoris expertia, pulverata sternutamentum vehementissimum excitantia, in aqua, spiritu et aethere ex parte solubilia.

A ramulorum fructuumque partibus saepe admixtis quam maxime liberatum **caute** servetur.

Extracta.

Extrakte.

Substantiae ad extracta paranda adhibendae minutim et aequaliter concidantur aut contundantur; aqua, si non destillata praescripta est, calcariae carbonicae quam minimam copiam continens adhibeatur.

Maceratio fiat calore 10 ad 20°, digestio autem calore 35 ad 40°, in utraque operatione saepius agitetur.

Liquores aquosi statim ad tertiam partem voluminis evaporent, tum loco frigido per aliquot dies subsidant et a sedimento liberentur; liquores spirituosi aut aetherei decanthati et filtrati inter perpetuam agitationem in balneo vaporis ad extracti spissitudinem evaporent. Aetherem

et spiritum adhibitum antea destillatione detrahere licet.

Balneum vaporis ita sit instructum, ne liquores, qui in eo evaporant, aquae ebullientis calorem superantem accipiant; evaporatio liquorum aethereorum autem calore 50° non superante efficiatur.

Extracta, quod ad spissitudinem pertinet, tribus gradibus paranda, haec sunt:

1) **tenuiora**, quae mellis recentis sunt densitate,
2) **spissiora**, quae refrigerata nequeunt effundi, sed spathula in fila distrahi possunt,
3) **sicca**, quae possunt conteri; parentur ita, ut extracta in vasis porcellaneis evaporent, donec massa tenax et post refrigerationem friabilis facta sit, quae adhuc calida spathula e vase exempta in taenias extenuata in chartam imponatur, leni calore siccetur et in pulverem grossum redacta statim in vas calefactum immittatur.

Extracta spissiora in vasis fictilibus vitreatis vel porcellaneis bene tectis, tenuiora et sicca in vasis vitreis, obturamentis suberinis clausis, omnia vero extracta loco frigido et sicco serventur.

Habeant odorem et saporem substantiarum, e quibus parantur, et a cupro et stanno libera sint.

Extractorum spissiorum narcoticorum copia parva cum dextrino mixta ad pulveres mixtos parandos praesto sit commendatur. Hoc modo conficiantur: ad **Dextrini pulverati** *partes decem* in patina porcellanea calefactas sensim misceatur **Extracti** *eadem quantitas* et calore 40 ad 50° siccentur, donec pondus non amplius deminuatur.

Massa sicca adhuc calida conteratur et cum **Dextrini** pulverati *ea quantitate* commisceatur, ut extracti adhibiti copia duplicata sit. Hujus pulveris pensetur copia duplo major, quam quae extracti spissi praescripta fuerit.

Extractum Absinthii.

Wermuthextrakt.

R. **Herbae Absinthii** *partes duas* . . . . 2.
Spiritus, ... 6.
Aquae communis, singulorum *partibus sex* . . . 6.
superfusae per viginti quatuor horas digerantur, tum exprimantur. Residuum, denuo affusis
Spiritus, ... 3.
Aquae communis, singulorum *partibus tribus*, . 3.
eadem ratione tractetur. Liquores commixti et filtrati ad extractum spissius redigantur.

Sit e viridi fuscum, in aqua turbide solubile.

Extractum Aconiti.

Eisenhutextrakt.

R. **Tuberum Aconiti grosso modo pulveratorum** *partes duas* . . . . 2.
Spiritus diluti *partibus quatuor* . . . . 4.
superfusae per dies octo, in vase clauso, et saepius agitando macerentur, tum exprimantur. Residuum, denuo affusis
Spiritus diluti *partibus tribus*, ... 3.

eadem ratione tractetur. Tincturae commixtae filtrentur et leni calore ad extractum **spissius** redigantur.

Sit coloris e flavo fusci, in aqua colore e flavo fusco turbide solubile.

Caute servetur.

Extractum Aloës.

Aloëextrakt.

R. **Aloës pulveratae** *partem unam*. . . . . 1.
Aquae destillatae *partibus quatuor* . . . . 4.
superfusam per horas quadraginta octo macera et saepius agita. Tum ad sedimentationem sepone, cola et liquorem limpidum in extractum **siccum** redige.

Sit pulvis e flavo fuscus, in aqua turbide solubilis.

Extractum Aloës Acido sulfurico correctum.

Mit Schwefelsäure versetztes Aloëextrakt.

R. **Extracti Aloës** *partes octo*. . . . . 8.
Aquae destillatae *partibus triginta duabus* . . . 32.
solutis guttatim admisce
Acidi sulfurici puri *partem unam*, ... 1.
tum liquorem in vase porcellaneo evaporando in extractum **siccum** redige.

Sit pulvis e fusco niger, in aqua turbidule solubilis.

Extractum Aurantii Corticis.

Pomeranzenschalenextrakt.

R. **Corticis Fructus Aurantii** *partem unam.* . . . . . 1.
Spiritus, ... 2.
Aquae communis, singulorum *partibus duabus* . 2.
superfusam digere per dies tres et exprime. Residuo affunde
Spiritus, ... 1.
Aquae communis, singulorum *partem unam.* . . 1.
Post iteratam digestionem per dies tres exprime. E liquoribus commixtis et filtratis paretur extractum **spissius.** Sit e rubro fuscum, in aqua fere limpide solubile.

Extractum Belladonnae.

Tollkirschenextrakt.

R. **Foliorum et Ramulorum recentium Belladonnae florescentis** *partes viginti.* . . . . 20.
Aquae communis *parte una* . . . . 1.
conspersae in mortario lapideo contundantur et fortiter exprimantur, quod
Aquae communis *partibus tribus* . . . . 3.
affusis repetatur. Liquores commixti ad 80° usque calefacti colentur et in balneo vaporis ad *partes duas* 2.
evaporent, quae
Spiritus *partibus duabus* . . . . 2.
admixtis per horas viginti quatuor seponantur et interdum conquassentur; deinde per linteum colentur. Residuum fortiter expressum cum
Spiritus diluti *parte una* . . . . 1.

conteratur ac denuo exprimatur. Liquores obtenti misceantur, filtrentur et ad extracti **spissioris** densitatem evaporent.

Sit saturate fuscum, in aqua colore fusco fere limpide solvatur.

Caute servetur.

Extractum Calami.

Kalmusextrakt.

Paretur e **Rhizomate Calami** ut **Extractum Absinthii.**

Sit e rubro fuscum; in aqua turbide solvatur.

Extractum Cannabis Indicae.

Indischer Hanfextrakt.

R. **Herbae Cannabis** *partem unam*. . . . . 1.
Spiritus *partibus sex* . . . . 6.

superfusam digere per triduum et exprime. Residuo affunde

Spiritus *partes quatuor*, ... 4.

digere ut antea et exprime. Tincturae commixtae et filtratae in extractum spissius redigantur.

Sit e nigro viride, in aqua non solubile.

Extractum Cardui benedicti.

Kardobenediktenextrakt.

℞. Herbae Cardui benedicti *partem unam*. . . . . 1.
Aquae fervidae *partibus sex* . . . . 6.
superfusam digere per horas sex et exprime. Residuo affunde
Aquae fervidae *partes tres*, ... 3.
digere ut antea et exprime. E liquoribus commixtis extractum **spissius** paretur.

Sit fuscum, in aqua turbide solvatur.

Extractum Carnis Liebig.

Fleischextrakt.

Extractum Carnis.

Massa extractiformis fusca, odoris grati carnis assae, in aqua facile et limpide solubilis. Solutio aquosa salis culinaris paullo condita sit saporis juris carnis taurinae decocti. Partes centum extracti calore 110° exsiccatae ne ultra partes viginti duas humoris amittant et concrematae ne minorem quantitatem quam partes duodeviginti cinerum relinquant, qui cineres tantum minorem copiam natrii chlorati contineant. Partes centum extracti spiritu digestae praebeant liquorem filtratum, qui evaporatione extracti fusci minus quam partes quinquaginta sex ne relinquat.

Extractum Cascarillae.

Kaskarillextrakt.

R. **Corticis Cascarillae grosso modo pulverati** *partem unam* . . . . 1.
Aquae communis ebullientis *partibus quatuor* . . 4.
superfusa stet per horas viginti quatuor, tum exprimatur. Residuo affundantur
Aquae communis ebullientis *partes duae*. . . . . 2.
Macera et fac ut antea. Liquores commixti subsidant, tum defundantur et in vase porcellaneo ad extracti **spissioris** densitatem evaporent.

Sit saturate fuscum; in aqua turbide solvatur.

Extractum Centaurii.

Tausendgüldenkrautextrakt.

Paretur ex **Herba Centaurii** uti **Extractum Cardui benedicti.**

Sit e rubro fuscum; in aqua limpide solvatur.

Extractum Chamomillae.

Kamillenextrakt.

R. **Florum Chamomillae vulgaris** *partes duas*. . . 2.
Superfusas
Spiritus, ... 8.
Aquae communis, singulorum *partibus octo* . . . 8.
digere per horas viginti quatuor et exprime. Residuo affunde

Spiritus, ... 4.

Aquae communis, singulorum *partes quatuor*. . 4.

Post iteratam digestionem per horas viginti quatuor exprime. E liquoribus commixtis extractum **spissius** paretur.

Sit e viridi fuscum; in aqua turbide solvatur.

Extractum Chelidonii.

Schöllkrautextrakt.

Paretur ex **Herba florescente Chelidonii** uti **Extractum Belladonnae.**

Sit saturate fuscum; in aqua turbide solvatur.

Extractum Chinae fuscae.

Chinaextrakt.

R. **Corticis Chinae fusci** *partem unam*. . . . . 1.

Superfusam

Spiritus diluti *partibus quatuor* . . . . 4.

digere per horas viginti quatuor interdum agitando et exprime. Residuo affunde

Spiritus diluti *partes duas*. . . . . 2.

Post digestionem per horas viginti quatuor iteratam et expressionem paretur e liquoribus commixtis et filtratis extractum **spissum.**

Sit fuscum; in aqua turbide solvatur.

Extractum Chinae frigide paratum.

Kaltbereitetes Chinaextrakt.

R. **Corticis Chinae fusci** *partes duas.* . . . . 2.
Superfusas
Aquae destillatae *partibus duodecim* . . . . 12.
macera per biduum et exprime. Residuum macera eadem ratione in
Aquae destillatae *partibus sex* . . . . 6.
et fortiter exprime. Liquores commixti et a sedimento decanthati evaporent ita, ut pars una et dimidia remaneat, quae refrigerata et filtrata evaporet ad extracti **spissioris** densitatem.

Sit e rubro fuscum; in aqua turbidule solvatur.

Extractum Cinae.

Zittwerblüthenextrakt.

R. **Florum Cinae** *partes duas.* . . . . 2.
Superfusas
Aetheris, ... 3.
Spiritus, singulorum *partibus tribus* . . . . 3.
macera per triduum. Liquore defuso residuum exprime et denuo affusis
Aetheris, ... 2.
Spiritus, singulorum *partibus duabus* . . . . . . 2.
operationem repete. E tincturis commixtis et filtratis extractum spissitudinis **tenuioris** paretur.

Sit obscure viride, in aqua non solubile.

Extractum Colocynthidis.

Koloquintenextrakt.

R. **Fructus Colocynthidis** a seminibus liberati et grosso modo concisi *partes duas.* . . . . 2.

Superfusas

Spiritus diluti *partibus duodecim* . . . . 12.

digere loco tepido per aliquot dies, interdum agitando, tum fortiter exprime. Residuo affunde

Spiritus diluti, ... 5.

Aquae communis, singulorum *partes quinque.* . . 5.

Digere per viginti quatuor horas, saepius agitando, et exprime.

Liquores obtenti et commixti post sedimentationem decanthentur, colentur et in extractum **siccum** redigantur.

Sit pulvis e flavo fuscus; in aqua turbide solvatur.

Caute servetur.

Extractum Colocynthidis compositum.

Zusammengesetztes Koloquintenextrakt.

R. **Extracti Colocynthidis** *partes tres*, ... 3.

Aloës pulveratae *partes decem*, ... 10.

Resinae Scammoniae *partes octo*, ... 8.

Extracti Rhei *partes quinque.* . . . . 5.

Misceantur, spiritum dilutum aspergendo, et leni calore siccentur.

Sit pulvis grossus fuscus.

Caute servetur.

Extractum Colombo.

Kolomboextrakt.

Paretur e **Radice Colombo** uti **Extractum Aurantii Corticis**, sed evaporando in extractum **siccum** redigatur.

Sit pulvis e flavo fuscus, in aqua turbide solubilis.

Extractum Conii.

Schierlingsextrakt.

Paretur ex **Herba Conii recente** uti **Extractum Belladonnae.**

Sit fuscum, in aqua fere limpide solubile.

Caute servetur.

Extractum Cubebarum.

Kubebenextrakt.

Paretur e **Cubebis** uti **Extractum Cinae.**

Sit fuscum, in aqua haud solubile.

Extractum Digitalis.

Fingerhutextrakt.

Paretur e **Foliis et Ramulis Digitalis florescentis recentibus** uti **Extractum Belladonnae.**

Sit fuscum, in aqua turbide solubile.

Caute servetur.

Extractum Dulcamarae.

Bittersüssextrakt.

Paretur e **Stipitibus Dulcamarae** uti **Extractum Cardui benedicti**, nisi quod **Aquae fervidae** *partes quatuor*, tum *partes duae* adhibeantur.

Sit e rubro fuscum, in aqua turbide solubile.

Extractum Fabae Calabaricae.

Kalabarbohnenextrakt.

Extractum Physostigmatis.

R. **Fabae Calabaricae grosso modo pulveratae** *partem unam*. . . . . 1.

Superfusam

Spiritus diluti *partibus quinque* . . . . 5.

digere per horas viginti quatuor et exprimendo cola. Residuo denuo affunde

Spiritus diluti *partes tres* . . . . 3.

et fac ut antea. Colaturas commixtas et filtratas in vase porcellaneo calore balnei vaporis inter agitationem assiduam ad extracti **spissioris** densitatem redige.

Caute servetur.

Extractum Ferri pomatum.

R. **Pomorum acidorum** *partes quinquaginta*. . . . . 50.

In pultem redactae stramentis concisis permisceantur et exprimantur. Liquor post sedimentationem colatus cum

Ferri pulverati *parte una* . . . . 1.
vel quantitate sufficiente in balneo vaporis calefiat, quamdiu ferrum solvitur, cujus parva pars non soluta remaneat. Liquori refrigerato adde tantum **aquae**, ut *partes quadraginta octo* expleantur, quae filtrentur et ad extracti **spissioris** densitatem redigantur.

Sit colore e viridi nigro; in aqua fere limpide solvatur.

Pro acidi copia in pomis ipsis contenta et ea, quae fermentatione orta erit, extractum ferri pomatum continet *septem ad octo partes* ferri in *centum partibus*, non nunquam vero copiam multo minorem.

Extractum Filicis.

Wurmfarnextrakt.

R. **Rhizomatis Filicis** recens siccati et pulverati *partem unam*. . . . . 1.
Superfusam
Aetheris *partibus tribus* . . . . 3.
macera per triduum. Liquore defuso residuum exprime et denuo affunde
Aetheris *partes duas*. . . . . 2.
Post macerationem exprime. E tincturis commixtis et decanthatis extractum **tenuius** paretur.

Sit subviride, in aqua non solubile.

Extractum Gentianae.

Enzianextrakt.

R. **Radicis Gentianae** *partem unam.* . . . . 1.
Superfusam
Aquae communis frigidae *partibus sex* . . . . . . 6.
macera per horas quadraginta octo et exprime. Residuo affunde
Aquae communis frigidae *partes tres,* . . . . . . 3.
tum macera per duodecim horas et exprime. E liquoribus commixtis post sedimentationem colatis extractum **spissius** paretur.

Sit fuscum; in aqua limpide solvatur.

Extractum Graminis.

Queckenextrakt.

R. **Rhizomatis Graminis incisi** *partem unam,* . . . . 1.
Aquae communis fervidae *partes sex.* . . . . . . 6.
Digere per horas sex, tum cola. Colatura statim evaporet ad syrupi spissitudinem.

Una pars ejus iterum in *quatuor partibus* **Aquae destillatae** frigidae solvatur, filtretur et ad extractum **spissius** evaporet.

Sit e rubro fuscum, in aqua limpide solubile.

Extractum Gratiolae.

Gottesgnadenkrautextrakt.

Paretur ex **Herba Gratiolae** recente ut **Extractum Belladonnae.**

Sit fuscum; in aqua colore fusco turbide solvatur.

Caute servetur.

Extractum Helenii.

Alantwurzelextrakt.

Paretur e **Radice Helenii** uti **Extractum Aurantii Corticis.**

Sit fuscum; in aqua turbide solvatur.

Extractum Hyoscyami.

Bilsenkrautextrakt.

E **Foliis** et **Ramulis recentibus Herbae Hyoscyami florescentis** paretur extractum uti **Extractum Belladonnae.**

Sit coloris fusci, subviridis, in aqua colore fusco turbide solubile.

Caute servetur.

Extractum Lactucae virosae.

Giftlattichextrakt.

Paretur ex **Herba Lactucae florescente recente** uti **Extractum Belladonnae.**

Sit fuscum, in aqua fere limpide solubile.

Caute servetur.

Extractum Ligni Campechiani.

Campecheholzextrakt.

R. **Ligni Campechiani concisi** *partem unam,* . . . . 1.
Aquae communis *partes octo.* . . . . 8.
Coque ad dimidium, cola et repete coctionem ligni cum
Aquae communis *partibus sex.* . . . . 6.
E colaturis commixtis et decanthatis paretur extractum **siccum.**

Sit pulvis e rubro fuscus, in aqua turbide solubilis.

Extractum Liquiritiae Radicis.

Süssholzextrakt.

Extractum Glycyrrhizae.

Paretur e **Radice Liquiritiae** uti **Extractum Gentianae.**

Sit e flavo fuscum, in aqua limpide solubile.

Extractum Malti.

Malzextrakt.

R. **Malti hordeacei** contusi, ... 1.
Aquae communis frigidae, singulorum *partem unam.* 1.
Mixtae stent per horas tres, tum, admixtis
Aquae communis *partibus quatuor,* . . . . 4.
calore 65° non superante per horam unam digestae usque ad ebullitionem calefiant et statim exprimendo co-

lentur. Colatura limpida inter assiduam agitationem quam celerrime evaporetur et in extractum **spissum** redigatur.

Sit e flavo fuscum, saporis grati dulcis. Loco frigido servetur.

Extractum Malti ferratum.

Eisenhaltiges Malzextrakt.

R. **Extracti Malti** *partes nonaginta quinque.* . . . . 95.

Commisce cum

Ferri pyrophosphorici cum Ammonio citrico *partibus duabus,* . . . . 2.

solutis in

Aquae destillatae *partibus tribus.* . . . . 3.

Sit saporis dulcis, paullulum ferruginei.

Extractum Mezerei.

Seidelbastextrakt.

R. **Corticis Mezerei minutim concisi** *partem unam.* 1.

Superfusam

Spiritus *partibus quatuor* . . . . 4.

digere per aliquot dies, interdum agitando, tum fortiter exprime. Residuo affunde

Spiritus *partes tres* . . . . 3.

et fac ut antea.

Liquores commixti et filtrati ad extracti **tenuioris** densitatem evaporent.

Sit subviride, in aqua non solubile.

Caute servetur.

Extractum Millefolii.

Schafgarbenextrakt.

Paretur e **Foliorum et Florum Millefolii** *partibus aequalibus* uti **Extractum Absinthii.**

Sit e viridi fuscum, in aqua turbide solubile.

Extractum Myrrhae.

Myrrhenextrakt.

R. **Myrrhae contusae** *partem unam* . . . . 1.
Superfusam
Aquae destillatae *partibus quinque* . . . . 5.
macera per biduum et saepius agita. Liquorem defusum et filtratum in extractum **siccum** redige.

Sit pulvis e rufo flavus, in aqua turbide solubilis.

Extractum Opii.

Opiumextrakt.

R. **Opii pulverati** *partes quatuor* . . . . 4.
Superfusas
Aquae destillatae *partibus sedecim* . . . . 16.
macera per viginti quatuor horas et saepius agita, tum exprimendo cola. Residuo affunde
Aquae destillatae *partes duodecim*, ... 12.
per viginti quatuor horas macera et exprimendo cola.

Liquores commixti subsidant, filtrentur et in extractum **siccum** redigantur.

Sit pulvis e rubro fuscus; in aqua turbide solvatur.

Caute servetur.

Extractum Pulsatillae.

Küchenschellenextrakt.

Paretur ex **Herba Pulsatillae florescente et recente** uti **Extractum Belladonnae.**

Sit fuscum, in aqua turbide solubile.

Caute servetur.

Extractum Quassiae.

Quassiaextrakt.

Paretur e **Ligno Quassiae** uti **Extractum Ligni Campechiani**, nisi quod ad extracti **spissioris** densitatem redigatur.

Sit coloris fusci, crystallulis saepe immixtis; in aqua turbide colore fusco solvatur.

Extractum Ratanhae.

Ratanhaextrakt.

R. **Radicis Ratanhae grosso modo pulveratae**
partem unam . . . . 1.

Superfusam
Aquae communis *partibus quatuor* . . . . 4.

sepone per horas viginti quatuor, saepius agita et exprimendo cola.

Residuo affunde

Aquae communis *partes tres*. . . . . 3.

Sepone iterum per horas viginti quatuor et exprimendo cola. Liquores commixti subsidant et decanthati in vase porcellaneo evaporando in extractum **siccum** redigantur.

Sit pulvis nitidus, e rubro fuscus, in aqua turbide solubilis.

Extractum Rhei.

Rhabarberextrakt.

Paretur e **Radice Rhei** uti **Extractum Absinthii.**

Sit e flavo fuscum; in aqua turbide solvatur.

Extractum Rhei compositum.

Zusammengesetztes Rhabarberextrakt.

Extractum catholicum s. panchymagogum.

R. **Extracti Rhei** *partes tres*, ... 3.

Extracti Aloës *partem unam*. . . . . 1.

Superfusae

Aquae destillatae *partibus quatuor* . . . . 4.

leni calore emolliantur, tum admisceatur

Saponis jalapini *pars una*, ... 1.

Spiritus diluti *partibus quatuor* . . . . 4.

soluta. Mixtas evaporando ad **siccum** redige.

Sit pulvis coloris e nigricante fusci, in aqua colore e fusco flavo turbide solubilis.

Extractum Sabinae.

Sadebaumextrakt.

Paretur e **Summitatibus Sabinae** uti **Extractum Absinthii.**

Sit e viridi fuscum, in aqua turbide solubile.

Caute servetur.

Extractum Scillae.

Meerzwiebelextrakt.

R. **Bulbi Scillae grosso modo pulverati** *partem unam,* **1.**
Spiritus diluti *partes quatuor.* . . . . **4.**

Macera per dies quatuor, tum cola et exprime. E liquore decanthato et filtrato paretur extractum **spissius.**

Sit e flavido fuscum, in aqua sublimpide solubile.

Extractum Secalis cornuti.

Mutterkornextrakt.

Ergotinum. Extractum haemostaticum.

R. **Secalis cornuti grosso modo pulverati** *partem unam,* **1.**
Aquae destillatae *partes duas.* . . . . **2.**

Macera per horas sex, cola et exprime. Residuo affunde
Aquae destillatae *partes duas* . . . . **2.**
et fac ut antea. Liquores colati et commixti evaporent ad syrupi tenuioris spissitudinem tum admisce
Spiritus diluti *partem unam,* . . . . **1.**
saepius conquassando per diem unum sepone, filtra et ad extractum **spissius** evapora.

Sit e rubro fuscum, in aqua limpide solubile.

Extractum Senegae.

Senegaextrakt.

Paretur e **Radice Senegae** uti **Extractum Colombo.**

Sit pulvis e flavo fuscus, in aqua turbide solubilis.

Extractum Stramonii.

Stechapfelkrautextrakt.

Paretur e **Foliis Stramonii recentibus** uti **Extractum Belladonnae.**

Sit e nigro fuscum, in aqua fere limpide solubile.

Caute servetur.

Extractum Strychni aquosum.

Wässriges Krähenaugenextrakt.

Extractum Nucum vomicarum aquosum.

R. **Seminis Strychni grosso modo pulverati** *partem unam* . . . . 1.

Affusis

Aquae communis ebullientis *partibus quatuor,* . 4.

stet per horas viginti quatuor et interdum agitetur, tum exprimatur. Residuo affunde

Aquae communis ebullientis *partes tres* . . . . . 3.

et fac ut antea.

Liquores commixtos, subsidendo et defundendo limpidos factos, in extractum **siccum** redige.

Sit pulvis e flavo fuscus, in aqua colore e subviridi albo turbide solubilis.

Caute servetur.

Extractum Strychni spirituosum.

Weingeistiges Krähenaugenextrakt.

Extractum Nucum vomicarum spirituosum.

R. **Seminis Strychni** grosso modo pulverati *partes duas* . . . . 2.

Superfusas

Spiritus diluti *partibus quatuor* . . . . 4.

digere, interdum agitando, per horas viginti quatuor et liquore decanthato exprime. Residuo denuo affunde

Spiritus diluti *partes tres* . . . . 3.

et fac ut antea.

Tincturae commixtae et filtratae evaporando in extractum **siccum** redigantur.

Sit pulvis fuscus, in aqua turbide solubilis, saporis peramari.

Caute servetur.

Extractum Taraxaci.

Löwenzahnextrakt.

Paretur e **planta tota Taraxaci florescente et siccata** uti **Extractum Cardui benedicti.**

Sit fuscum, in aqua fere limpide solubile.

Extractum Trifolii fibrini.

Fieberkleeextrakt.

Paretur e **Foliis Trifolii fibrini** uti **Extractum Cardui benedicti.**

Sit e nigro fuscum; in aqua limpide solvatur.

Extractum Valerianae.

Baldrianextrakt.

E **Radice Valerianae** uti **Extractum Aurantii Corticis** et extractum spissius paretur.

Sit e nigro fuscum; in aqua turbide solvatur.

Faba Calabarica.

Kalabarbohne.

Semen Physostigmatis.

Physostigma venenosum *Balfour*.

Semina ovalia vel oblonga, plus minusve reniformia, paullum compressa, circiter centimetros quatuor longa, centimetros duos lata et millimetros undecim crassa; testa, duas cotyledones ovales albidas fragiles includente, fusca, paullum nitida, granulose rugosa vestita; margine hinc convexo, illinc plus minusve sinuato cum hilo profunde sulcato.

Caute servetur.

Farina Hordei praeparata.

Präparirtes Gerstenmehl.

Farina Hordei in vas stanneum cylindraceum inter compressionem immittatur, ut vasis duo trientes expleantur. Tum vas clausum in balneo vaporis per horas triginta seponatur. Post refrigerationem, strato summo farinaceo rejecto, massa residua e rubello subflava in pulverem redigatur et loco sicco servetur.

Fel Tauri depuratum siccum.

Trockne gereinigte Ochsengalle.

R. **Fellis Tauri recentis,**
Spiritus singulorum *partes aequales.*

Misceantur exacte; mixtae aliquamdiu sepositae filtrentur; quo facto ex liquore spiritus in balneo vaporis destillatione separetur.

Residuo saepius agitando **carbonis animalis humidi,** antea **acido hydrochlorico** depurati, paullatim tantum addatur, ut liquoris portiuncula exemta et filtrata coloris sit subflavi, tum filtretur et liquor in extractum siccum redigatur.

Sit pulvis e subflavo albus, eodem colore in aqua et spiritu limpide solubilis, facile humescens, accensus residuum relinquens exiguum album, quod reactionem alkalinam praebeat.

Fellis tauri recentis partes centum fellis depurati sicci fere septem partes praebent.

In vasis bene clausis servetur.

Fel Tauri inspissatum.

Eingedickte Ochsengalle.

Fel Tauri calefactum, per linteum colatum in vase porcellaneo in balneo vaporis, agitatione evitata, ad extracti **spissioris** consistentiam evaporet.

Sit coloris e subfusco viridis, in aqua solutione limpida subviridi solubile.

Ferrum carbonicum saccharatum.

Zuckerhaltiges kohlensaures Eisen.

R. **Ferri sulfurici puri** *partes quinque.* . . . . **5.**
Aquae destillatae fervidae *partibus viginti* . . . **20.**
solutas infunde in lagenam vitream, collo angustiore instructam et satis amplam, quae
Natri bicarbonici *partes quatuor* . . . . **4.**
Aquae destillatae tepidae *partibus quinquaginta* **50.**
solutas continet. Lagenae partem vacuam imple aqua bulliente, dein per horas duas sepone. Liquore praecipitato supernatante siphonis ope decanthato, lagena denuo aqua destillata impleatur et quassetur. Postquam liquor subsederit, iterum decanthetur, quae operatio repetatur, donec liquor defusus baryo chlorato vix turbetur. Pultem ab aqua separatam immitte in vas porcellaneum, cui ingestae sunt
Sacchari pulverati *partes octo,* . . . . **8.**
tum in balneo vaporis ad siccum evaporando in pulverem redige.

Sit pulvis e viridi cinereus, saporis primo dulcis, postea paullum ferruginei, inter copiosam acidi carbonici emissionem in acido hydrochlorico solubilis, quae solutio baryo chlorato vix turbetur. In *partibus centum* ferri carbonici *partes viginti* continentur.

Quod coloris fusci acidis parum effervescit, rejiciatur.

In vasis bene clausis servetur.

Ferrum chloratum.

Eisenchlorür.

Ferrum muriaticum oxydulatum.

R. **Acidi hydrochlorici puri** *partes quingentas viginti,* **520.**
quibus in cucurbitam satis amplam infusis paullatim immitte

Ferri in filis seu limati *partes centum et decem.* **110.**
Quum gasis evolutio fere cessaverit, cucurbita per aliquot horas stet in balneo vaporis, dein liquor a ferro non soluto filtratione accelerata separetur et statim in vase porcellaneo igne fortiore in cuticulam evaporet, tum, admixta

Acidi hydrochlorici puri *parte una,* . . . . . . **1.**
inter perpetuam agitationem in pultem rigidam evaporet, quae ab igne remota in massam salinam solidam concrescit. Haec massa contrita statim in vasis vitreis minoribus antea calefactis, optime clausis, servetur.

Pulvis salinus, pallide virescens, in pari aquae pondere additis nonnullis acidi hydrochlorici guttis limpide solubilis, quae solutio triplo spiritus volumine commixta ne turbetur, neve baryo chlorato praecipitetur.

Ferrum citricum oxydatum.

Citronensaures Eisenoxyd.

R. **Acidi citrici** *partem unam*. . . . . 1.

Aquae destillatae *partibus quatuor* . . . . 4.

solutae paullatim admisce

Ferri oxydati fusci, recens praecipitati et adhuc humidi *eam quantitatem*,

ut post digestionem longiorem, leni calore effectam, et inter agitationem saepe repetitam paullum non solutum supersit. Tum liquor filtratus in patina porcellanea leni calore ad syrupi spissitudinem evaporet, deinde super vasa plana porcellanea vel vitrea extensus exsiccetur.

Sit sal siccum, amorphum, diaphanum, plerumque lamellas tenues rufas referens, saporis mitis ferruginei, in aqua frigida colore subflavido facile et plane solubile, quae solutio cum liquore ammonii caustici mixta praecipitatum ne demittat.

In vasis bene clausis servetur.

Ferrum citricum ammoniatum.

Citronensaures Eisenoxyd-Ammonium.

Ferrum citricum cum Ammonio citrico.

Ferro-Ammonium citricum.

R. **Acidi citrici** *partes duas*. . . . . 2.

Solutis in

Aquae destillatae *partibus octo* . . . . 8.

paullatim immisce

Ferri oxydati fusci, recens praecipitati et adhuc humidi *eam quantitatem,*

ut post digestionem longiorem, leni calore effectam, et inter agitationem saepe repetitam paullum non solutum supersit. Tum liquorem filtra, filtrum paullo aquae eluendo.

In liquore filtrato solve

Acidi citrici *partem unam.* . . . . 1.

Quo facto admisce

Liquoris Ammonii caustici *quantum sufficit,*

ut ammonium paullum praevaleat, tum liquor in patinam porcellaneam immissus leni calore ad syrupi spissitudinem evaporet et super vasa plana porcellanea vel vitrea extensus exsiccetur.

Sit sal siccum, amorphum, plerumque lamellas tenues diaphanas referens, coloris e rubro fusci, saporis pungentis salini, postea mitis ferruginei.

Aqua solutum liquore ammonii caustici admixto praecipitatum ne praebeat; cum liquore kali caustici autem calefactum inter gasis ammonii emissionem ferrum oxydatum demittat.

Ferrum iodatum.

Eisenjodür. Jodeisen.

R. **Ferri pulverati** *partes tres,* . . . . 3.

Aquae destillatae *partes duodeviginti,* . . . . 18.

Iodi *partes octo.* . . . . 8.

In lagenam vitream immissae modice calefiant, donec

liquor coloris subviridis evaserit, qui filtretur, filtrum aqua eluendo.

Partes octo iodi adhibiti respondent *partibus decem* ferri iodati.

Secundum hoc praeceptum ferrum iodatum ex tempore paretur et mixturis a medico praescriptis addatur; sin autem massae pilulari admiscendum est, liquor antea leni calore inspissetur.

Ferrum iodatum saccharatum.

Zuckerhaltiges Jodeisen.

R.	**Ferri pulverati** *partes tres,*	**3.**
	Aquae destillatae *partes decem,*	**10.**
	Iodi *partes octo.*	**8.**

In lagenam vitream immissas loco calido sepone et saepius agita, donec color rubicundus in subviridem mutatus fuerit. Liquor in patinam porcellaneam,

Sacchari Lactis pulverati *partes quadraginta* . **40.**

continentem filtretur, filtrum paullo aquae destillatae abluendo, tum massa bene mixta in balneo vaporis inter continuam agitationem ad siccum evaporet et in pulverem redigatur.

Sit pulvis e subflavo albidus, in aquae partibus septem solubilis, solutionem fere limpidam praebens. Contineat *viginti partes* ferri iodati in *centum partibus.* Solutio aquosa primum amylo, tum aqua chlorata caute admixta colore saturate caeruleo tingatur.

In vasis minoribus optime clausis **caute** servetur.

Ferrum lacticum.

Milchsaures Eisenoxydul.

Pulvis crystallinus, albidus, e flavo subviridis, fere odoris expers, in spiritu parce, in aquae frigidae partibus quadraginta octo solubilis, solutionem e viridi flavam praebens, quae plumbo acetico vix turbetur. Cum liquore natri caustici calefactus praebeat liquorem, qui filtratus addita cupri sulfurici copia parva leni calore ne coaguletur neve colore rubro turbetur.

Ferrum oxydatum fuscum.

Eisenoxydhydrat.

Ferrum oxydatum hydratum. Ferrum hydricum.

R. **Liquoris Ferri sulfurici oxydati** *partes quadraginta,* . . . . **40.**

Aquae destillatae *partes centum et sexaginta.* . **160.**

Mixtis affunde

Liquoris Ammonii caustici *partes triginta duas,* **32.**

Aquae destillatae *partibus sexaginta quatuor* . **64.**

dilutas, vel tantum liquoris ammonii, ut paullum praevaleat. Praecipitatum exinde ortum in filtro collige, et aqua destillata elotum, dein expressum leni calore sicca.

Sit pulvis subtilissimus, e rufo fuscus, cum acido hydrochlorico liquorem limpidum croceum praebens, qui aquae destillatae partibus viginti dilutus baryo chlorato paullum modo turbetur.

In vase bene clauso servetur.

Ferrum oxydatum saccharatum solubile.

Eisenzucker.

R. **Liquoris Ferri sesquichlorati,** . . . . 20.
Syrupi simplicis, singulorum *partes viginti*. . 20.
Mixtis inter agitationem paullatim adde
Liquoris Natri caustici *partes quadraginta*, . . 40.
et per horas viginti quatuor sepone. Tum liquorem limpidum infunde in
Aquae destillatae fervidae *partes trecentas*, . . 300.
agita et sepone, ut subsidant. Praecipitatum, liquore supernatante defuso, denuo aqua destillata superfunde, dein collige in filtro et aqua destillata ablue, quamdiu aqua coloris expers defluit et reactionem alkalinam majorem habet. Praecipitatum exstillando ab aqua maxima ex parte liberatum in vase porcellaneo commisce cum
Sacchari optimi pulverati *partibus nonaginta*. 90.
et in balneo vaporis inter agitationem ad siccum redige. Tum admisce
Sacchari optimi pulverati quantum sufficit,
ut expleantur *partes centum*, ... 100.
dein in pulverem redige et in vase bene clauso serva.

Sit pulvis subrufus, saporis dulcis, mitis ferruginei, in aquae partibus quinque plane solubilis, solutionem e rufo fuscam, reactionis paullum alkalinae praebens. In *centum partibus* contineat ferri metallici *partes tres*.

Ferrum phosphoricum.

Phosphorsaures Eisenoxydul.

R. Ferri sulfurici puri *partes tres.* . . . . 3.
Solutis in
Aquae destillatae *partibus duodeviginti* . . . . . 18.
affunde
Natri phosphorici *partes quatuor,* . . . . 4.
solutas in
Aquae destillatae *partibus sedecim.* . . . . 16.

Praecipitatum inde ortum statim in filtro collige, aqua ablue, calore 25° non excedente sicca et in pulverem redige.

Sit pulvis subtilissimus, e cinereo caeruleus, calore e cinereo subviridis, in aqua non solubilis, cum acido hydrochlorico diluto leni calore solutionem aurescentem praebens.

In vase bene clauso servetur.

Ferrum pulveratum.

Eisenpulver.

Limatura Martis praeparata.

Pulvis subtilissimus, cinereus, gravis, metallice subnitens; acido hydrochlorico affuso gasis hydrosulfurati tantum vestigia extricentur, quod charta liquore plumbi subacetici imbuta dignoscitur. Haec solutio addito acido nitrico ad perfectam ferri oxydationem, tum liquore ammonii caustici praevalente affuso post filtrationem liquore ammonii sulfurati ne turbetur.

In vasis bene clausis servetur.

Ferrum pyrophosphoricum cum Ammonio citrico.

Pyrophosphorsaures Eisenoxyd mit citronensaurem Ammonium.

R. **Natri pyrophosphorici** *partes octoginta quatuor.* 84.
Solutas in
Aquae destillatae *partibus quingentis* . . . . . . 500.
paullatim infunde in
Liquoris Ferri sesquichlorati *partes octoginta quatuor,* . . . . 84.
antea dilutas
Aquae destillatae *partibus octingentis.* . . . . . 800.
Praecipitatum inde exortum, aqua bene elotum et adhuc humidum ingeratur in liquorem paratum ex
Acidi citrici *partibus viginti sex,* . . . . 26.
solutis in
Aquae destillatae *partibus quinquaginta,* . . . 50.
et
Liquoris Ammonii caustici *ea quantitate,*
ut paullum praevaleat. Solutione perfecta liquor flavidus leni calore ad syrupi spissitudinem evaporet, dein super patinas planas extensus exacte exsiccetur.

Sint lamellae e viridi flavae, saporis mitis ferruginei, in aqua facile et perfecte solubiles. Solutio liquore ammonii caustici admixto nullum praecipitatum demittat, cum liquore kali caustici autem calefacta inter emissionem gasis ammonii praecipitatum e flavido album praebeat. In *partibus centum* continet *partes duodeviginti* ferri metallici.

In vase bene clauso servetur.

Ferrum reductum.

Reducirtes Eisen.

Ferrum Hydrogenio reductum.

Pulvis subtilissimus, niger, ponderosus, nitore carens, qui in aëre candefactus in ferrum oxydatum commutatur.

In acido hydrochlorico diluto inter evolutionem gasis hydrogenii odorem neutiquam spargentis sit plane solubile, solutionem e caeruleo viridem praebens, quae kalio sulfocyanato soluto paullum modo rubefiat. Cum aqua bromata leni calore digestum plus quam partem dimidiam non solutam, in acido hydrochlorico tamen plane solubilem, ne relinquat.

Ferrum sesquichloratum.

Krystallisirtes Eisenchlorid.

Ferrum muriaticum oxydatum.

Massa crystallina, coloris flavi, in aëre sensim deliquescens, in aqua, spiritu et aethere plane solubilis, acidum hydrochloricum vix redolens. ($Fe_2\,Cl_6 + 6\,H_2\,O$).

In aquae partibus quinquaginta solutum kalio ferricyanato addito colorem fuscum induat neve praecipitatum caeruleum praebeat. Cum solutione ferri sulfurici oxydulati mixtum acido sulfurico concentrato provide instillato ne colorem intense fuscum accipiat.

In vase epistomio vitreo bene clauso servetur.

Ferrum sulfuricum crudum.

Eisenvitriol.

Grüner Vitriol. Ferrum sulphuricum venale. Vitriolum Martis.

Frusta crystallina vel crystalli rhomboideo-prismaticae, pellucidae, virides, interdum cupro et aliis metallis inquinatae, qua de causa ad usum medicum ne adhibeatur.

Ferrum sulfuricum oxydatum ammoniatum.

Schwefelsaures Eisenoxyd-Ammonium.

Ammoniakalischer Eisenalaun.

R. **Liquoris Ferri sulfurici oxydati** *partes trecentas*, **300.**
Ammonii sulfurici *partes viginti octo*, ... **28.**
Aquae destillatae *partes centum*. . . . . **100.**

In patina porcellanea mixtae leni calore ad crystallisationem usque evaporent.

Crystalli inter refrigerationem lentam ortae, lixivio matrice defuso, aquae parva copia celeriter abluantur et calore non adhibito siccentur.

Sint crystalli e violaceo subamethystinae, octaëdricae, in aquae frigidae partibus quatuor solubiles. Solutio aquosa reactionem ferri oxydati, ammonii et acidi sulfurici praebeat. Cum liquore kali caustici praevalente calefactae tam ammonium quam praecipitatum, e ferro hydrico constans, demittant. Liquor deinde filtratus

acido hydrochlorico praevalente admixto cum ammonii carbonici copia abundante mixtus ne praecipitatum album, ex alumina constans, secernat.

In vasis bene clausis servetur.

Ferrum sulfuricum purum.

Reines schwefelsaures Eisenoxydul.

Reiner Eisenvitriol. Vitriolum Martis purum.

Sint crystalli diaphanae vel pulvis crystallinus, coloris laeti e caeruleo viridis, in aquae frigidae minore copia quam duabus partibus, in aquae fervidae partibus aequalibus solubilis, in spiritu non solubilis, in aëre sicco fatiscens.

Signa chemica puritatis sint eadem quae in ferro pulverato.

In vasis parvis bene obturatis servetur.

Ferrum sulfuricum siccum.

Entwässertes schwefelsaures Eisenoxydul.

R. **Ferri sulfurici puri** *quantum vis.*

In patinam porcellaneam immissum usque ad 100° calefiat, donec in massam albidam conversum fuerit, quae in pulverem contrita in vase bene clauso servetur.

Sit pulvis subtilis, e viridi albus, in aqua lente et sine residuo solubilis.

Flores Arnicae.

Wohlverleihblüthen.

Arnikablüthen.

Arnica montana *Linn.*

Flosculi vitellini, pappo piloso, scabro, fragili instructi, in germine tuboque pubescentes, radii feminei, ligulati, quatuor millimetros circiter lati, tridentati, disci hermaphroditi, tubulosi, quinquedentati. Dispensentur anthodii radiantis flosculi a peranthodio liberati; sunt acres, saporis amaricantis, digitis confricati sternutationem movent.

Ne confundantur cum flosculis aliarum Compositarum, a quibus signis supra notatis satis differunt; nec corrosi sint a larvis nigris Trypetae Arnicae.

Flores Aurantii.

Pomeranzenblüthen.

Citrus Aurantium *Risso* et amara *Linn.*

Flores recentes odoris suavissime fragrantis, calyce parvo, dentato, petalis subcarnosis, oblongis, candidis, nec extrinsecus roseis ut in Citro Limonum *Risso*, staminibus polyadelphis, germine monostylo sunt instructi.

Flores Chamomillae Romanae.

Römische Kamille.

Anthemis nobilis *Linn.*

Anthodia radiata, cultura luxuriantia, peranthodio imbricato, receptaculo convexo, paleis in apice obtusis,

laceris obsito, flosculis disci tubulosis, flavis, plurimis in radii flosculos majores, albos, ligulatos mutatis, pappo nullo; odoris fragrantis, aromatici, saporis amari.

Ne confundantur cum anthodiis luxuriantibus multo minoribus Pyrethri Parthenii *Smith* et Achilleae Ptarmicae *Linn.*

Flores Chamomillae vulgaris.

Kamille.

Gemeine Kamille.

Matricaria Chamomilla *Linn.*

Anthodia radiata, peranthodio imbricato, receptaculo conico, nudo, cavo, flosculis radii ligulatis, albis, disci tubulosis, flavis, pappo nullo; odoris peculiaris, fragrantis, saporis amari.

Ne confundantur cum floribus Pyrethri inodori *Smith*, Anthemidis Cotulae et arvensis *L.* Anthodia majora et inodora Pyrethri inodori et Anthemidis arvensis receptaculo convexo, medulloso, in Anthemide praeterea paleaceo, anthodia foetida Anthemidis Cotulae receptaculo medulloso, paleis setaceis obsito sunt instructa.

Flores Cinae.

Wurmsamen.

Zittwersamen. Semen vel Anthodia Cinae. Semen Santonici. Semen sanctum.

Artemisiae species e sectione Seriphidii huc usque ignota.

Anthodia clausa, pauciflora, oblonge prismatica, coloris subviridis, subflavi vel subfusci, circiter duos milli-

metros longa, glabra; peranthodii phyllis imbricatis, carinatis, membranaceo-marginatis, dorso glandulis minutis, aureis inspersis, exterioribus ovatis, quam interiora oblonga minoribus; saporis et odoris proprii, nauseosi subcamphoracei.

Solummodo flores Levantici quos vocant adhibendi; vetusti, fusci, nec non majores, saepe jam florentes, paullum pilosi, glandulis majoribus inspersi, quos vocant Indicos, vel subglobosi, incane tomentosi, vulgo Barbarici vocati, sunt rejiciendi.

Flores Kosso.

Kosso.

Kusso. Kossoblüthen. Flores Brayerae anthelminthicae.
Hagenia Abyssinica *Willdenow* (Brayera anthelminthica *Kunth*).

Paniculae femineae coarctatae, ramosissimae, villosae, bracteatae, multiflorae, floribus perigynis, plus minusve defloratis, bibracteolatis, bracteolis subrotundis sepalisque quinque vel quatuor exterioribus oblongis, circiter centimetrum longis membranaceis, reticulatis, subrubris vel subviridibus, hypanthio brevi turbinato villoso insertis; saporis nauseose subamari.

Loco sicco in vasis bene clausis, a luce remotis serventur, ante dispensationem a paniculae ramis crassioribus repurgentur.

Flores Lavandulae.

Lavendelblüthen.

Flores Lavendulae.

Lavandula officinalis *Chaix* (Lavendula vera *DC.*).

Flores caerulei, calyce cylindrico, striato, violaceo-villoso, quinquedentato, dente summo majore; corolla bilabiata; odoris aromatici fragrantis.

Colligendi sunt flores ante perfectam anthesin.

Flores Malvae arboreae.

Stockrosen.

Flores Malvae hortensis vel Alceae.

Althaea rosea *Cavanilles.*

Flores calyce duplici tomentoso, exteriore plerumque sexfido, interiore quinquefido, corolla malvacea, ex atro fusca, saepe plena, circiter quinque centimetros longa et staminibus monadelphis instructi, mucilaginosi, saporis subadstringentis.

Colligantur flores integri et plane evoluti; rejiciantur mucidi, nec non insectis corrosi.

Flores Malvae vulgaris.

Gemeine Malvenblüthen.

Flores Malvae silvestris.

Malva silvestris *Linn.*

Flores calyce duplici, exteriore tripartito, interiore quinquefido, corolla tenera, pentapetala, duos centimetros fere longa, rosea, siccata lilacina et staminibus monadelphis instructi, mucilaginosi.

Flores Millefolii.

Schafgarbenblüthen.

Summitates Millefolii.

Achillea Millefolium *Linn.*

Anthodia parva, ad corymbum disposita, radiata, pauciflora; receptaculo paleaceo; peranthodii ovalis, imbricati squamis rotundatis, subtomentosis, in margine scariosis; flosculis epapposis albis vel rubicundis, radii subquinis, femineis, ligula latissima ornatis, disci paucis, tubulosis, hermaphroditis; saporis amari, odoris aromatici.

Flores Primulae.

Schlüsselblumen.

Flores Primulae veris.

Primula officinalis *Jacq.* (Primula veris *Sm.*).

Corollae a calyce liberatae, infundibuliformes, circiter centimetros duos et dimidium longae, coloris citrini, limbo concavo, quinquelobo, in fauce maculis quinque croceis signatae, odoris paullum mellei, saporis subdulcis.

Mensibus Aprili et Majo colligantur. Cum floribus Primulae elatioris *Jacq.*, cujus corollae limbus planus est, ne commutentur.

Flores Rhoeados.

Klatschrosen.

Papaver Rhoeas *Linn.*

Petala tenuissima, subrotunda, in basi attenuata, circiter quinque centimetros lata, siccata sordide purpurea, ungue

saepe nigro; fere inodora, submucilaginosa, saporis amaricantis.

Flores decolores, mucidi, ab insectis corrosi rejiciantur.

Flores Rosae.

Rose.

Centifolienrose.

Rosa centifolia *Linn.*

Petala recentia concava, pallide rubentia, odoris gratissimi, siccata pallidiora, minus odorata. Si vis sale condire, petalorum partes binae et salis culinaris partes singulae alternis vicibus in vase sternantur, tum inculcatae lapidibusque gravatae loco frigido serventur.

Flores Sambuci.

Fliederblumen.

Hollunderblüthen.

Sambucus nigra *Linn.*

Cymae quinqueradiatae, multiflorae, corollis epigynis, rotatis, ex albo luteolis; saporis et odoris peculiaris. Colligendi flores tempestate sicca, nigrescentes repudiandi.

Flores Tiliae.

Lindenblüthen.

Tilia ulmifolia et Tilia platyphyllos *Scopoli.*

Pedunculi cymoso-tri—septemflori, ad medium usque cum bractea subchartacea, lineari-oblonga, reticulata,

e flavo virente connati; flores ex albido sublutei, pentasepali, pentapetali, staminibus plurimis, hypogynis germineque subgloboso, tomentoso; siccati odoris minoris, saporis subdulcis.

In vasis bene clausis, sed ne ultra annum unum serventur.

Flores Verbasci.

Wollblumen.

Königskerzenblumen.

Verbascum thapsiforme *Schrader* et aliae species generis Verbasci.

Corollae satis magnae, rotatae, fere regulares, aureo-flavae; staminibus superioribus tribus brevioribus, albide villosis, inferioribus duobus longioribus, glabris, anthera longe decurrente; odoris parvi, manducatae mucilaginosae, saporis subdulcis.

Colligendae sine calycibus tempestate sicca, siccatae in vasis antea calefactis bene obturatis servandae.

Folia Althaeae.

Altheeblätter.

Eibischkraut. Herba Althaeae.

Althaea officinalis *Linn.*

Folia petiolata, subcordata, acuta, quinqueloba vel triloba vel indivisa, dentata, utrinque molliter tomentosa; manducata mucilaginosa.

Folia Aurantii.

Pomeranzenblätter.

Citrus vulgaris *Risso*.

Folia oblonga, acuta, glabra, pellucide punctata, petiolo articulato, latius alato, obovato vel obcordato; saporis amaricantis, trita fragrantia.

Colligenda aestate, non confundenda cum foliis Citri Limoni et medicae *Risso*, quibus ala petioli angustissima est vel deficit.

Folia Belladonnae.

Tollkirschenblätter.

Belladonnablätter. Herba Belladonnae.

Atropa Belladonna *Linn*.

Folia ovalia, in petiolum attenuata, integerrima, acuta, supra saturate viridia, juniora pubescentia, adultiora nervis solummodo subpubescentia; odoris subnarcotici, saporis subamari ingrati.

Colligenda e planta rediviva, in Europa media et australi montana spontanea cum florescit mensibus aestivis, celeriter siccata, coloris saturate viridis, in vasis bene clausis asservanda.

Pulvis statim ex foliis Belladonnae recens siccatis paretur et in vase bene clauso loco obscuro servetur.

Caute servanda.

Folia Digitalis.

Fingerhutkraut.

Herba Digitalis purpureae.

Digitalis purpurea *Linn.*

Folia oblonga, in petiolum attenuata, rugosa, crenata, praesertim subtus plus minusve tomentosa; saporis amari nauseosi.

Colligenda e planta florescente, sponte crescente, nec culta, siccanda loco umbroso atque in vasis a luce remotis ne ultra annum unum sed **caute** servanda.

Folia Farfarae.

Huflattigblätter.

Herba Farfarae vel Tussilaginis.

Tussilago Farfara *Linn.*

Folia subrotunde cordata, sinuate angulata, dentata, subtus albe tomentosa, supra laete viridia; saporis amari subadstringentis.

Colligenda mense Majo; ne confundantur cum foliis junioribus Petasitae officinalis *Moench.* reniformi-cordatis, subtus canescenti-lanuginosis, ne cum foliis reniformibus Petasitae tomentosi *DC.*

Folia Hyoscyami.

Bilsenkraut.

Herba Hyoscyami.

Hyoscyamus niger *Linn.*

Folia ovate oblonga, sinuate dentata, villosa; odoris nauseosi narcotici.

Colligantur a planta spontanea florescente, ne ultra annum unum, sed caute serventur.

Folia Juglandis.

Wallnussblätter.

Juglans regia *Linn.*

Folia impari-pinnata, foliolis subnovenis, magnis, ovate oblongis, subtus in venarum axillis barbatis, lateralibus solum articulatis; odore proprio, sapore subamaro.

Colligantur mense Junio. Cito siccata bene serventur; sint siccata viridia.

Folia Laurocerasi.

Kirschlorbeerblätter.

Prunus Laurocerasus *Linn.*

Folia recentia, breviter petiolata, coriacea, oblonga, octo ad sedecim usque centimetros longa, remote serrata, glabra, venosa, subtus ad venarum inferiorum axillas glandulosa. Odor foliorum tritorum non differt ab illo amygdalarum amararum; sapor stypticus amarus.

Colligenda mensibus Julio et Augusto.

Folia Malvae.

Malvenblätter.

Herba Malvae.

Malva vulgaris *Fries* (Malva rotundifolia *Bauhin*).

Malva silvestris *Linn.*

Folia longe petiolata, subrenata vel cordate subrotunda, pilosiuscula, quinque-vel septemloba, lobis obtusissimis vel porrectis, serratis; manducata mucilaginosa.

Folia Melissae.

Melissenblätter.

Herba Melissae.

Melissa officinalis *Linn.* α. citrata *Bischoff.*

Folia petiolata, ovata vel subcordata, crenate serrata, viridia, subtus pallidiora, minute glandulosa, in nervis pilosiuscula; odoris grati, saporis paullum amari. Non confundenda cum foliis subtus incane tomentellis Nepetae Catariae *L.* *β.* citriodorae.

Folia Menthae crispae.

Krauseminzblätter.

Herba Menthae crispae.

Mentha crispa *Linn.* et Mentha crispata *Schrader.*

Folia subsessilia, cordata vel rotunde ovata, bullato-rugosa, undulata, lacere dentata, obtusa vel acuta, villosa vel glabra, glandulosa; manducata os urentia; odoris proprii.

Colligenda folia mensibus aestivis.

Folia Menthae piperitae.

Pfefferminze.

Herba Menthae piperitae.

Mentha piperita *Linn.*

Folia longiuscule petiolata, oblonga, acuta, argute serrata, subglabra, glandulosa; odore fragrante, sapore subcamphoraceo, frigoris sensum in ore relinquente.

Colligenda folia mensibus aestivis, nec confundenda cum foliis sessilibus, minus aromaticis Menthae viridis *Linn.*

Folia Nicotianae.

Tabaksblätter.

Herba Tabaci.

Nicotiana Tabacum *Linn.*

Folia magna, oblonge lanceolata, acuta, in basi attenuata, integerrima, glandulose pubescentia, siccata fusca; manducata acria, odoris peculiaris.

Folia siccata venalia herbae annuae Americanae, quae vulgo Virginiana vocantur, tantummodo adhibeantur.

Folia Rosmarini.

Rosmarinblätter.

Herba Rosmarini vel Roris marini.

Rosmarinus officinalis *Linn.*

Folia rigida, linearia, rugosa, glandulosa, in margine revoluta, subtus albida tomentosa, nervo prominente; odoris et saporis camphoracei.

Praeferantur folia fruticis in Europa australi spontanei.

Folia Rutae.

Rautenblätter.

Herba Rutae.

Ruta graveolens *Linn.*

Folia petiolata, fere tripinnatipartita, crassiuscula, glaucescentia, glandulosa, laciniis ultimis spathulatis; recentia graveolentia, manducata urentia, saporis subamari; siccata sunt odoris et saporis mitioris.

Folia, antequam planta florescat, sunt colligenda.

Folia Salviae.

Salbeiblätter.

Herba Salviae.

Salvia officinalis *Linn.*

Folia petiolata, oblonga, rugosa, crenulata, tenuiter tomentosa; manducata adstringentia, saporis amari, odoris aromatici.

Colligenda antequam suffrutex florescat.

Folia Sennae.

Sennesblätter.

Alexandrinische oder Tripolitanische Sennesblätter.

Cassia lenitiva *Bischoff* (Senna acutifolia *Batka*).

Foliola subcoriacea, ovalia vel oblonga, in basi obliqua, in medio latiora, acuta, mucronulata, venosa, plus minusve puberula, pallide subglauca; odoris peculiaris, saporis nauseosi subamari. Adhibeantur folia

vulgo Alexandrina vel Tripolitana, quorum illa foliis rigidis, lanceolatis, in basi aequalibus, uninerviis, glaucis, pubescentibus Solenostemmatis Arghel *Hayne* mixta repe-riuntur, quibus omnino repurgari ea non oportet; sint a petiolis leguminibusque, quantum fieri potest, libera. Nec foliola elongate lanceolata, acutata, in basi latiora Cassiae angustifoliae *Vahl*, neque silvestria, vulgo Senna Indica vel Senna de Mecca, nec culta majora integriora, vulgo Senna de Tinnevelly, nec foliola obovata Cassiae obovatae *Colladon*, quae vulgo Senna Halepensis vel Italica nominatur, adhibere licet.

Folia Sennae quae vocant parva, fragmenta foliorum referentia ob frequentem adulterationem nunquam in usum veniant.

Folia Sennae Spiritu extracta.

Mit Spiritus ausgezogene Sennesblätter.

Folia Sennae in **Spiritus** *partibus quatuor* per biduum macerentur, tum exprimantur et siccentur.

Folia Stramonii.

Stechapfelblätter.

Herba Stramonii.

Datura Stramonium *Linn.*

Folia petiolata, ovata, acuta, sinuate dentata, supra saturate viridia, subtus pallidiora, in nervis puberula; odoris narcotici, saporis nauseosi amari.

Colligenda sunt folia, quum planta florescit, et **caute** nec ultra annum unum servanda.

Folia Toxicodendri.

Giftsumachblätter.

Herba Rhois Toxicodendri.

Rhus Toxicodendron *Michaux.*

Folia longe petiolata, ternata, foliolis membranaceis, acutis, intermedio petiolulato, ovali, lateralibus sessilibus, ovatis, inaequilateris. Folia recentia succo lacteo in aëre nigrescente, cutis inflammationem cum intumescentia efficiente scatent, quamobrem manibus nudis ne tangantur.

Ne confundantur cum foliis similibus, sed foliolis omnibus sessilibus instructis Pteleae trifoliatae *Linn.*

Colligenda mensibus Junio et Julio, **caute** non ultra annum unum servanda.

Folia Trifolii fibrini.

Fieberkleeblätter.

Bitterklee. Dreiblatt. Herba Trifolii fibrini.

Menyanthes trifoliata *Linn.*

Folia petiolata, ternata; foliolis subsessilibus, crassiusculis, ovalibus vel oblongis, obtusis, leviter repando-crenatis, glabris, laete viridibus; saporis peramari.

Colligenda mense Majo vel Junio.

Folia Uvae Ursi.

Bärentraubenblätter.

Folia Arctostaphyli. Herba Uvae Ursi.

Arctostaphylos Uva Ursi *Sprengel* (Arbutus Uva Ursi *Linn.*).

Folia coriacea, obovata, integerrima, glabra, utrinque nitida et reticulata; saporis subamari, adstringentis.

Ne confundantur cum foliis in margine reflexis, subtus opacis, venosis, fusce punctatis Vaccinii Vitis Idaeae *L.*

Colligenda aestate.

Fructus Anisi stellati.

Sternanis.

Semen Anisi stellati.

Illicium anisatum *Loureiro.*

Carpella drupacea, duriuscula, fere octona, stellatim divergentia, cymbiformia, compressa, extrinsecus e griseo fusca, rugosa, intus laevigata, superiore sutura dehiscentia, monosperma; semine compresso, badio, nitido; manducata os paullum urentia, saporis subdulcis, odoris aromatici.

Sint quantum fieri potest a stipitibus libera; immatura parva, corrugata, odoris tenuioris sunt rejicienda.

Fructus Anisi vulgaris.

Anis.

Gemeiner Anis. Semen Anisi vulgaris.

Pimpinella Anisum *Linn.*

Schizocarpia late ovata, a latere subcompressa, dense brevissimeque puberula, ex cinereo subviridia, circiter duos millimetros longa; mericarpiis plerumque cohaerentibus, quinquies striatis, multivittatis; manducata os paullum urentia, saporis subdulcis, odoris aromatici.

Sint fructus plane maturi, quantum fieri potest a stipitibus et glebulis terreis aliisque quisquiliis liberi.

Fructus Aurantii immaturi.

Unreife Pomeranzen.

Aurantia immatura.

Citrus vulgaris *Risso* (Citrus Aurantium, *α.* amara *Linn.*)

Baccae immaturae siccatae, globosae, glandulosae, multiloculares, ad magnitudinem cerasorum usque electae, durae, coloris e viridi subnigri; odoris aromatici, saporis amari.

Fructus Cannabis.

Hanfsamen.

Hanfkörner. Semen Cannabis.

Cannabis sativa *Linn.*

Nuculae late ovatae, paullum compressae, submarginatae, laeves, e griseo subvirides, semine solitario oleoso.

Vetustiores saporis rancidi rejiciantur.

Fructus Capsici.

Spanischer Pfeffer.

Piper Hispanicum.

Capsicum annuum et longum *Fingerhut.*

Bacca exsucca, conica, plerumque rubra, nitida, calyce paullulum plano fulta, intus cava, non plane bi- vel trilocularis, pericarpio tenui, coriaceo; seminibus planis, subflavis, sporophoro incrassato affixis; manducatus fructus os acriter urit, contritus sternutamentum vehementissimum movet.

Fructus Cardamomi minores.

Kleiner Kardamom.

Semen Cardamomi minoris. Cardamomum minus vel Malabaricum.

Elettaria Cardamomum *White et Matoni.*

Capsulae chartaceae, trigonae, striatae, octo ad duodecim millimetros longae, coloris straminei, triloculares; seminibus parvis, duris, obtusis angulis, rugosis, hinc sulco exaratis, fuscis, intus albis, odoris intense aromatici, manducatis os urentibus.

Semina capsulis exempta nunquam emantur; rejiciatur Cardamomum minus aromaticum, quod vocant longum vel Zeylanicum, nec non rotundum vel Javanicum.

Ad pulverem parandum pericarpia sunt removenda.

Fructus Carvi.

Kümmel.

Kümmelsamen. Semen Carvi.

Carum Carvi *Linn.*

Schizocarpia oblonga, a latere valde compressa, circiter quatuor millimetros longa; mericarpiis angustis, utrinque angustatis, quinquecostatis, facile separabilibus, costis filiformibus, albidis, sulcis latis, fuscis, univittatis; manducata os paullum urentia; odoris peculiaris.

Sint fructus plane maturi et quantum fieri potest a stipitibus aliisque quisquiliis liberi.

Fructus Ceratoniae.

Johannisbrot.

Siliqua dulcis.

Ceratonia Siliqua *Linn.*

Legumina septata, plane compressa, exsucca, carnosa, extrinsecus badia, segmento transverso obtuse quadrangula; mesocarpio paullum crasso, lacunoso, subfusco, dulci; loculis endocarpio chartaceo obductis, monospermis; seminibus compressis, durissimis, splendentibus.

Fructus nimis sicci, nec non ab insectis corrosi sunt rejiciendi.

Fructus Colocynthidis.

Koloquinten.

Colocynthis. Poma Colocynthidis.

Citrullus Colocynthis *Arnott* (Cucumis Colocynthis *Linn.*).

Baccae siccatae, decorticatae, globosae, mali magnitudine; carne levissima, spongiosa, albida, amarissima; seminibus pluribus parietalibus, in pulpa nidulantibus.

Praeferendae sunt baccae carne copiosiore seminibusque paucioribus instructae; fuscescentes et duriores rejiciendae.

Caute serventur; seminibus remotis adhibeantur.

Fructus Colocynthidis praeparati.

R. **Fructuum Colocynthidis a seminibus liberatorum et minutim concisorum** *partes quinque,* . . 5.

Gummi Arabici pulverati *partem unam.* . . . . . 1.

Cum **aquae destillatae** sufficiente quantitate fiat pasta, quae exsiccata in pulverem redigatur subtilem, in vase bene clauso **caute** servandum.

Sit coloris subflavi, saporis peramari.

Fructus Coriandri.

Koriandersamen.

Semen Coriandri.

Coriandrum sativum *Linn.*

Schizocarpia globosa, calyce coronata, duos ad tres millimetros crassa, e fusco subflava, intus excavata;

mericarpiis saepissime cohaerentibus, in dorso multistriatis evittatisque; manducata urentia, saporis subdulcis, odoris aromatici.

Fructus Foeniculi.

Fenchelsamen.

Semen Foeniculi.

Foeniculum officinale *Allione* (Anethum Foeniculum *Linn.*).

Schizocarpia oblonga, paullum teretia, coloris subfusci vel subviridis, circiter quatuor millimetros longa; mericarpiis facile separabilibus, quinquecostatis, costis carinatis, pallidioribus; sulcis fuscis, univittatis; manducata os paullum urentia, saporis subdulcis, odoris peculiaris.

Fructus Juniperi.

Wachholderbeeren.

Baccae Juniperi.

Juniperus communis *Linn.*

Baccae globosae, pisi circiter magnitudine, carnosae, in apice trigibbae, trispermae, extrinsecus nigrae, glauce pruinosae, carne e subviridi fusca; seminibus osseis, glanduliferis; saporis subdulcis, dein subamari, odoris aromatici.

Rejiciantur immaturae virides, griseae vel rufae, nec non vetulae.

Fructus Lauri.

Lorbeeren.

Baccae Lauri.

Laurus nobilis *Linn.*

Drupae siccatae, ovales, rugosae, e fusco nigrae, minoris cerasi magnitudine; mesocarpio tenui, putamine chartaceo, e fusco rubro; semine facile in cotylas duas, fere hemisphaericas, oleoso-carnosas, subfuscas secedente; odoris peculiaris, saporis oleosi, amari.

Fructus Myrtilli.

Heidelbeeren.

Baccae Myrtilli.

Vaccinium Myrtillus *Linn.*

Baccae globosae, umbilicatae, polyspermae, siccatae rugosae, pisi magnitudine, nigrae, carne e caeruleo purpurascente repletae; saporis paullulum adstringentis, acidule dulcis. Sint satis molles, nec ab insectis corrosae, nec mucidae.

Fructus Papaveris.

Mohnköpfe.

Capita vel Capsulae Papaveris.

Papaver somniferum *Linn.*

Capsulae immaturae, nucis juglandis magnitudinem adaequantes, ovate oblongae, stigmate magno, peltato, radiate coronatae, sporophoris parietalibus septiformibus pluribus instructae, cum seminibus siccatae; saporis nauseosi amari.

Fructus Petroselini.

Petersiliensamen.

Semen Petroselini.

Petroselinum sativum *Hoffmann.*

Schizocarpia ovata, a latere compressa, duos millimetros circiter longa, ex griseo subviridia, glabra; mericarpiis quinquecostatis, facile separabilibus; costis filiformibus, sulcis in medio elevatis, univittatis; manducata os paullum urentia, odoris gravis.

Fructus Phellandrii.

Wasserfenchel.

Semen Phellandrii aquatici.

Oenanthe Phellandrium *Lamarck.*

Schizocarpia oblonga, subteretia, sursum parum attenuata, calyce coronata, circiter quatuor millimetros longa, fusca; mericarpiis plerumque cohaerentibus, quinquecostatis, costis obtusis, sulcis angustis univittatis; odoris ingrate aromatici, saporis subamari. Sint plane matura.

Cave ne sint mixta cum fructibus Cicutae virosae *L.* et Sii latifolii *L.*, qui forma subglobosa aut ovata et colore subviridi ab iis differunt.

Fructus Rhamni catharticae.

Kreuzdornbeeren.

Baccae Spinae cervinae. ***Baccae Rhamni catharticae.***

Rhamnus cathartica *Linn.*

Drupae maturae recentes, globosae, ad octo millimetros crassae, disco orbiculari fultae, nigrae, succo e violaceo viridi repletae; pyrenis cartilagineis, plerumque quaternis, obtuse trigonis, mono- et campylospermis, quae in Rhamno Frangula *L.* binae vel ternae tantum, compressae, pallide subfuscae et orthospermae sunt.

Fructus Sabadillae.

Sabadillsamen.

Semen Sabadillae.

Sabadilla officinalis *Brandt.*

Carpella tria capsularia, chartacea, pallide fusca, sutura ventrali hiantia, pleiosperma, circiter duodecim millimetros longa, seminibus plerumque prolapsis, oblongis, angulosis, sursum angustatis, e fusco atris, intus albis, quatuor ad sex millimetros longis, amarissimis acerrimisque, cum acrimonia faucibus diu haerente.

Fructus **caute** servetur.

Fructus Vanillae.

Vanille.

Siliqua Vanillae.

Vanilla planifolia *Andrews.*

Capsulae non plane maturae siccatae, subcarnosae, trigono-compressae, utrinque attenuatae, striatae, flexiles, saepius crystallis exiguis obtectae, sesqui ad duos et dimidium decimetros longae, quatuor ad octo millimetros latae, coloris ex atro fusci, uniloculares, fartae pulpa granulosa, saporis suavissimi, odoris balsamo Peruviano similis, constans e seminibus innumerabilibus, minutissimis, atris, strato tenuissimo balsamico obtectis et conglutinatis.

Fructus valde immaturi, tenues, exsucci, nec non jam bivalvatim aperti et illi, qui sub nomine »La Guayra et Pompona« occurrunt, crassiores quidem, sed odoris multo tenuioris ne adhibeantur.

Fumigatio Chlori.

Chlorräucherung.

Ad fumigationem fortiorem sal culinare cum *pari pondere* **mangani hyperoxydati** mixtum **acidi sulfurici crudi** *partibus duabus*, antea aquae *parte una* dilutis, superfundatur.

Ad fumigationem mitiorem calcariae chloratae cum aqua ad pultem mixtae **acetum** addatur.

Fungus igniarius praeparatus.

Feuerschwamm.

Boletus igniarius vel Chirurgorum.

Polyporus fomentarius *Fries.*

Laminae ferrugineae, mollissimae, a cortice duriore et hymenio liberatae; ne sint kali nitrico impraegnatae.

Fungus Laricis.

Lärchenschwamm.

Agaricus albus. Boletus Laricis.

Polyporus officinalis *Fries* (Boletus Laricis *Linn.*).

Frusta levia, fungose fibrosa, friabilia, tamen tenacia et difficile in pulverem redigenda, coloris e subflavo albi; manducata saporis primum subdulcis, dein amari acris.

Decorticatus fungus est adhibendus, ab insectis corrosus removendus.

Galbanum.

Mutterharz.

Gummi-resina Galbanum.

Ferula erubescens *Boissier.*

Grana irregularia, pisi usque ad magnitudinem nucis avellanae, singula aut conglutinata, coloris pallide flavi, vel e rubente vel e subfusco flavi, in fractura sublutea, cerae instar nitentia; aut frusta plus minusve mollia, subviridia aut pallide fusca, fractura varie pallidiore vel

coloris saturatioris massas praebentia; manducata os urentia, sapore amaro, odore valde balsameo.

Tempestate gelida terendo redigatur in pulverem, a quisquiliis ope cribri separandum.

Gallae.

Galläpfel.

Gallae Halepenses v. Levanticae v. Turcicae.

Quercus infectoria *Olivier*.

Excrescentiae e gemmis foliiferis Quercuum sempervirentium fruticosarum orientalium ictu Cynipis Gallae tinctoriae *Olivieri* laesis nascentes, plus minusve globosae, verrucose echinatae, ponderosae, durae, saepissime foramine instructae, coloris e subviridi cinerei, plus minusve intensioris vel pallidioris; manducatae adstringentes.

Rejiciantur Gallae leves, spongiosae, laeves, Germanicae, quas vocant.

Gelatina.

Weisser Leim.

Sit et coloris et odoris paene expers.

Gelatina Carrageen.

Irländisch-Moosgallerte.

Karrageengallerte.

R. **Carrageen** *partem unam*, ... **1.**
Aquae communis *partes quadraginta*, ... **40.**

coque per semihoram in balneo vaporis et cola exprimendo. Additis

Sacchari optimi *partibus duabus* . . . . 2.
evapora inter continuam agitationem, ut supersint
partes decem. . . . . 10.
Non nisi ad dispensationem paretur.

Gelatina Lichenis Islandici.

Isländisch-Moosgallerte.

R. **Lichenis Islandici aqua frigida loti** *partes tres,* 3.
Aquae communis *partes centum,* . . . . 100.
coque per semihoram in balneo vaporis et cola exprimendo. Colaturam additis
Sacchari optimi *partibus tribus* . . . . 3.
evapora inter perpetuam agitationem, ut supersint *partes decem.* . . . . 10.
Non nisi ad dispensationem paretur.

Gelatina Lichenis Islandici saccharata sicca.

Trockne gezuckerte Isländisch-Moosgallerte.

R. **Lichenis Islandici concisi** *partes sedecim,* . . . 16.
Kali carbonici depurati *partem unam.* . . . . . . 1.
Superfundantur
Aquae communis *ea quantitate,*
ut lichen obtegatur, stent per horas viginti quatuor interdum agitando, deinde liquore colando defuso lichen cum aqua communi sedulo abluatur, donec sapor amarus et alkalinus consumtus fuerit. Tum lichen

Aquae communis *partibus ducentis* . . . . **200.**
superfusus in balneo vaporis interdum agitando per horas quatuor coquatur, dein coletur. Coctio haec cum nova aquae quantitate repetatur. Liquores colati

Sacchari optimi *partibus sex* . . . . **6.**
additis evaporent, donec in massam non amplius glutinosam conversi fuerint, quae in frustula parva discerpta exsiccetur. Massae siccae pensae tantum **sacchari** addatur, ut gelatinae siccae et sacchari par pondus in ea contineatur.

Sit pulvis e griseo fuscus, saporis dulcis, postea amaricantis, mucilaginosi.

Gemmae Populi.

Pappelknospen.

Oculi Populi.

Populus nigra *Linn.* et aliae species generis Populi.

Gemmae conicae, tegmentis imbricatis, resinose viscidis, suaveolentibus tectae, vere, antequam dehiscant, collectae et recentes adhibitae vel siccatae in usum repositae.

Glandulae Lupuli.

Hopfenmehl.

Lupulin.

Humulus Lupulus *Linn.*

Pulvis subresinosus, coloris aureoli, deinde e luteo fusci, constans e glandulis minutis turbinatis, in vertice

hemisphaericis, balsamo citrino repletis; odoris peculiaris, saporis amari.

Glandulae a strobilis Lupuli recens siccatis ope cribri setacei separandae, nec ultra annum unum sunt servandae, ne sint arena inquinatae.

Glycerinum.

Glycerin.

Liquor limpidus, coloris et odoris expers, saporis saccharini, syrupi consistentiae, chartam exploratoriam non mutans, ponderis specifici 1,23—1,25, in aquae, spiritus et spiritus aetherei quantacunque copia solubilis, in aethere, chloroformio et oleis pinguibus non solubilis.

Solutio aquosa ne ammonio oxalico neve aqua hydrosulfurata turbetur; cum liquore kali caustici calefactum ne fuscescat, quae mixtura addito cupro sulfurico ne rubescat; cum acido sulfurico diluto affuso evaporatum ne nigrescat; cum spiritu et acido sulfurico concentrato mixtum odorem aetheris butyrici ne spargat; e solutione argenti nitrici et liquore ammonii caustici addito argentum metallicum ne secernat.

Gummi Arabicum.

Arabisches Gummi.

Gummi Mimosae.

Acacia Nilotica *Delile.* Acacia Seyal *Delile.* Acacia tortilis *Hayne.*

Frusta irregularia, globosa aut angulosa, variae magnitudinis, diaphana, coloris expertia vel subflavescentis,

plurimis parvis rimis, in fractura anguste conchata vitri instar nitentia, saepe iricoloria; manducata mucilaginea, sapore et odore nullo. Cum aqua facile mucilaginem praebet, quae spiritu turbatur.

Gutta Percha depurata.

Guttapercha.

Gutta Tuban.

Isonandra Gutta *Hooker*.

Sit massa alba vel e flavescente alba, interdum pigmento rubro subacta, in bacillos fere quatuor vel quinque millimetros crassos redacta, paullum elastica, flexibilis, calore 65 ad 70° mollescens et plastica, calore aquae ebullientis liquescens. In aqua non solubilis, in spiritu et aethere ex parte, in oleis aethereis, carboneo sulfurato et chloroformio plane solubilis.

In aqua servetur.

Gutti.

Gutti.

Gummigutt. Gummi-resina Gutti.

Garcinia Morella *Desrousseaux* (Garcinia Gutta *Wight*).

Frusta plerumque cylindracea, coloris aurantiaci, facile fragilia, fractura late conchata, laevia, cerae instar nitentia, circa angulos paullum diaphana, trita citrina, inodora; saporis initio vix ullius, postea subdulcis, os urentis. In spiritu et aethere ex parte solubilia, cum aqua trita emulsionem laete flavam, cum liquore alkali

caustici aut carbonici diluto saturate aurantiacam solutionem praebentia, ex qua acidis resina colore citrino praecipitetur.

Caute servetur.

Herba Absinthii.

Wermuth.

Summitates Absinthii.

Artemisia Absinthium *Linn.*

Herba florens paniculata; foliis incane sericeis, bi- vel tripinnatifidis, summis indivisis, laciniis ultimis spathulatis; anthodiis subglobosis nutantibus, receptaculo villoso flosculisque subluteis parvis instructis; saporis peramari, odoris aromatici gravis.

Colligenda mensibus Julio et Augusto et a caulibus crassioribus repurgetur.

Herba Cannabis Indicae.

Indischer Hanf.

Cannabis sativa *Linn.*

Ramuli florentes plantae femineae ex parte jam fructiferi, adpresse pilosi, scabri, massa resinosa excreta ad anthuros densos, foliatos, subcompressos conglutinati; foliis floralibus plerumque simplicibus, lanceolate linearibus, serratis; bracteis vaginatis, florem femineum vel postea nuculam notissimam includentibus, rufe glandulosis; odoris praesertim in herba paullum calefacta narcotici.

Herba ex India orientali advecta adhibeatur.

Herba Cardui benedicti.

Kardobenediktenkraut.

Folia Cardui benedicti.

Cnicus benedictus *Linn.*

Folia ad duos decimetros usque longa, oblonge lanceolata vel lanceolata, in petiolum attenuata, sinuate pinnatifida, aculeato-dentata, villosa; saporis peramari, salsi.

Herba cum floribus colligenda.

Herba Centaurii.

Tausendguldenkraut.

Herba Centaurii minoris.

Erythraea Centaurium *Persoon* (Gentiana Centaurium *Linn.*).

Herba florens; caule angulato, basi simplici, sursum cymoso-corymboso; foliis oppositis, sessilibus, ovalioblongis vel angustioribus, tri- vel quinquenerviis, glaberrimis; corollis rubris; antheris defloratis spiraliter contortis; saporis amari.

Colligenda mensibus Julio et Augusto.

Herba Chelidonii.

Schöllkraut.

Chelidonium majus *Linn.*

Tota planta recens lacte croceo amaro acri turget; ramis nodosis, paullum pilosis; foliis sublyratis, subtus sub-

glaucis, praesertim in nervis pubescentibus, laciniis rotundatis, lobate crenatis; floribus umbellatis, tetrapetalis, luteis.

Colligenda mense Majo.

Herba Chenopodii ambrosioidis.

Mexikanisches Traubenkraut.

Jesuitenthee. Herba Botryos Mexicanae.

Chenopodium ambrosioides *Linn.*

Herba florens; foliis sparsis, oblongis vel lanceolatis, utrinque angustatis, remote dentatis, glabris, laete viridibus, subtus glandulosis; floribus minutis, glomeratis, axillaribus, apetalis; manducata herba os urit, saporis amaricantis, odoris balsamici fragrantis.

Colligenda mense Julio.

Herba Cochleariae.

Löffelkraut.

Cochlearia officinalis *Linn.*

Herba recens florens; foliis radicalibus petiolatis, subcordate rotundis, repandis, plerumque jam deficientibus, caulinis semiamplexicaulibus, ovatis, sinuate dentatis; floribus albis; siliculis turgidis. Herba trita est acredinis volatilis, manducata urens, saporis amari.

Herba vere colligenda.

Herba Conii.

Schierlingskraut.

Herba Conii maculati. Herba Cicutae.

Conium maculatum *Linn.*

Herba florens, ubique glabra; foliis compluries pinnatipartitis, in basi vaginantibus, inferioribus fistulose petiolatis, superioribus sessilibus, fere oppositis, laciniis ultimis ovali-oblongis, inciso-serratis, mucronulatis; floribus umbellatis, parvis, albis; germinibus fere hemisphaericis fructibusque plus minusve immaturis, crenate costatis; odoris peculiaris nauseosi.

Herba genuina facillime ab illa affinium umbelliferarum uti Anthrisci silvestris *Hoffm.*, Chaerophylli hirsuti, bulbosi, temuli *L.*, Aethusae Cynapii *L.*, Cicutae virosae *L.* caet. discernitur **costis crenatis** germinis aut fructus immaturi, sub lenticula vitrea manifestis, odore peculiari, si herba sicca liquore kali caustici humectatur, praeterea ab Anthrisci et Chaerophylli speciebus glabritate omnium partium.

Herba Conii aestate colligatur, a caule fusce vel rubre maculato ramisque validioribus liberata **caute** ne ultra annum unum servetur.

Pulvis statim ex herba recens siccata parandus et in vasis bene clausis loco obscuro **caute** servandus est.

Herba Galeopsidis.

Hohlzahn.

Blankenheimer Thee. Lieber'sche Kräuter.

Galeopsis ochroleuca *Lamarck.*

Herba florens; caule tetragono, molliter pubescente, sub nodis non incrassato; foliis oppositis, petiolatis, ovato-oblongis; superioribus oblongis, utrinque subsericeo-pubescentibus, e subflavo viridibus; verticillastris axillaribus, grandifloris, inferioribus remotis; corollis bilabiatis, ochroleucis, extrinsecus villosis, calycem aristato-dentatum quadruplo superantibus; odoris tenuis, saporis salse subamari.

Cave ne confundas cum herba Galeopsidis Ladani *L.*, foliis lanceolatis vel oblonge lanceolatis floribusque minoribus, purpureis, neve cum illa Galeopsidis versicoloris *Curt.*, caule hispido, sub geniculis incrassato distinctis.

Herba Gratiolae.

Gottesgnadenkraut.

Gratiola officinalis *Linn.*

Herba florens, glabra; caule tetragono, stricto, sursum ramoso; foliis oppositis, sessilibus, lanceolatis, remote serratis, tri-vel quinquenerviis; floribus axillaribus, solitariis, pedunculatis, bibracteolatis; corolla sublabiata, albida; manducata os urens, saporis amari nauseosi.

Colligenda mensibus Junio et Julio.

Caute servetur.

Herba Lactucae.

Giftlattich.

Herba Lactucae virosae.

Lactuca virosa *Linn.*

Herba recens lactescens, paniculata; foliis horizontalibus, basi sagittata amplexicaulibus, oblongis, integris vel sinuatis, mucronato-denticulatis, in costa aculeatis; anthodiis radiatis, paucifloris, luteis; odoris ingrati narcotici, saporis ingrati amari salsi.

Ne confundatur cum herba Lactucae Scariolae *L.*, foliis verticalibus, sinuate pinnatifidis dignoscenda.

Colligatur herba biennis cum ramulis florescentibus vel spontanea, praesertim in Europa occidentali indigena, vel culta et recens ad extractum parandum adhibeatur.

Herba Linariae.

Leinkraut.

Herba cum floribus Linariae.

Linaria vulgaris *Miller.*

Herba recens florens; foliis sparsis, confertis, sessilibus, linearibus, acutis, integerrimis, glabris, trinerviis; floribus racemosis, personatis, in basi calcaratis, flavis.

Colligendae summitates foliosae floriferae herbae aestate.

Herba Lobeliae.

Lobelienkraut.

Herba Lobeliae inflatae.

Lobelia inflata *Linn.*

Herba florens, paullum pilosa; foliis sparsis; inferioribus breviter petiolatis, oblongis, inaequaliter serratis; floribus racemosis, parvis, epigynis; sepalis linearibus, corollam bilabiatam et pallide violaceam aequantibus; capsula inflata. Masticata herba primum saporis mitis, postea acris.

Herbam in Germania cultam, a caulibus crassioribus purgatam etiam adhibere licet.

Herba Majoranae.

Meiran.

Origanum Majorana *Linn.*

Herba florens, paniculata, incane tomentella; foliis oppositis, ovalibus vel oblongis, obtusis, integerrimis; capitula quadrifariam imbricata bracteis subrotundis; odoris aromatici.

Colligenda aestate.

Herba Meliloti.

Steinklee.

Melilotenklee. Summitates Meliloti.

Melilotus officinalis *Persoon.*

Rami floriferi, foliis ternatis, subulate stipulatis; corollis papilionaceis, parvis, luteis; germine fructuque sericeis; odoris peculiaris.

Colligendi rami herbae biennis mensibus Julio et Augusto.

Herba Millefolii.

Schafgarbenkraut.

Folia Millefolii.

Achillea Millefolium *Linn.*

Folia in ambitu lanceolata, bipinnatifida, petiolo nervisque subtus villosis, laciniis decurtatis, lanceolatis, acuminatis, mucronatis, subtus glandulosis; saporis amari.

Colligenda mense Junio.

Herba Polygalae.

Kreuzblumenkraut.

Herba Polygalae amarae.

Polygala amara *Linn.*

Planta caespitosa florens; radice tenui, luteola; caulibus pluribus, ad decem centimetros altis; foliis inferioribus majoribus, in orbem dispositis, spathulatis vel obovatis, caulinis sparsis, lanceolatis; floribus parvis, racemosis,

caeruleis vel albis, sepalis duobus petaloideis, alaeformibus ornatis; saporis peramari.

Cave ne cum aliis Polygalae speciebus commutes, a quibus praesertim foliis rosulatis et sapore peramaro differt.

Colligenda mensibus Majo et Julio.

Herba Pulsatillae.

Küchenschelle.

Herba Pulsatillae nigricantis.

Anemone pratensis et Anemone Pulsatilla *Linn.*

Herba florens, villosa, recens; foliis radicalibus florendi tempore nondum maturis, bi-, tripinnatifidis, laciniis linearibus; scapo unifloro; involucro foliaceo multipartito, a flore campanulato ex atro violaceo vel cyaneo remoto. Herba integra inodora, trita auram acerrimam exhalat, manducata vehementer urens.

Colligenda mensibus Aprili et Majo.

Herba Serpylli.

Quendel.

Feldkümmelkraut. Wilder Thymian.

Thymus Serpyllum *Linn.*

Herba florens; caule tenui, prostrato; foliis oppositis, parvis, planis, angustioribus vel latioribus, utrinque glandulosis, in basi ciliatis; verticillastris subcapitatis, calycibus corollisque bilabiatis; odoris fragrantis; saporis subamari adstringentis.

Colligenda aestate.

Herba Spilanthis.

Parakresse.

Herba Spilanthis oleraceae.

Spilanthes oleracea *Jacquin.*

Herba florens; caule ramoso; foliis oppositis, petiolatis, ovatis, subcordatis, repando-crenatis, in margine scabris, triplinerviis; pedunculis axillaribus, solitariis, monocephalis, quam folia longioribus; anthodio crasso, ovato, discoideo, multifloro, primum fusco, postremo flavo. Manducata herba os urit et salivam copiosiorem movet.

Herba Thymi.

Gartenthymian.

Römischer Quendel.

Thymus vulgaris *Linn.*

Herba florens; caule tenui, erecto, puberulo; foliis oppositis, parvis, oblongis, in margine revolutis, eciliatis, utrinque glandulosis, subtus incane puberulis; verticillastris axillaribus, sursum coarctatis; calycibus corollisque bilabiatis; odoris fragrantis.

Herba Violae tricoloris.

Freisamkraut.

Stiefmütterchenthee. Herba Jaceae.

Viola tricolor *Linn.*

Herba florens; caule angulato; foliis sparsis, petiolatis, oblongis, crenatis; stipulis lyratis, petiolo longioribus;

floribus axillaribus, longe pedunculatis; corollis labiosis, calcaratis, tri-, bicoloribus vel flavescentibus; manducata os paullum urens, saporis subamari.

Praeferatur herba cum floribus subcaeruleis; in hortis cultam adhibere non licet.

Hirudines.

Blutegel.

Sanguisuga medicinalis et Sanguisuga officinalis

Savigny.

Prior species Germanica, quam vocant, est granulose scabra, superne olivacea, lineis sex longitudinalibus laete ferrugineis, nigropunctatis, subtus e subviridi luteola, maculis margineque nigris notata. Altera species Hungarica, quam vocant, est laevis, superne subviridis vel e nigricante viridis, lineis sex longitudinalibus ferrugineis, nigropunctatis, subtus olivacea, non maculata, linea utrinque laterali nigra notata.

Ne ad sugendum antea sint adhibitae.

Haemopis (Hippobdella *Blainville*) Sanguisorba *Savigny* ad sugendum inepta distinguitur dorso irregulariter maculato, lineis haud notato.

Hydrargyrum.

Quecksilber.

Mercurius vivus.

Metallum liquidum, splendoris metallici, coloris e caerulescente albi, plerumque parvam copiam plumbi, bismuthi, stanni aut zinci continens.

Hydrargyrum bichloratum corrosivum.

Aetzendes Quecksilberchlorid.

Aetzender Quecksilbersublimat.

Mercurius sublimatus corrosivus.

Massae albae, diaphanae, ponderosae, radiatim crystallinae, in fractura granulosae, percalefactae liquescentes et plane avolantes, in aquae frigidae partibus sedecim, in aquae ebullientis partibus tribus, in spiritus partibus tribus, in aetheris frigidi partibus quatuor solubiles.

Cautissime in vasis bene clausis serva.

Hydrargyrum biiodatum rubrum.

Rothes Quecksilberjodid.

Rothes Jodquecksilber. Mercurius iodatus ruber.

Deutoioduretum Hydrargyri.

R. **Hydrargyri bichlorati corrosivi** *partes quatuor,* 4.
solve in
Aquae destillatae *partibus septuaginta duabus;* . 72.
Kalii iodati *partes quinque* . . . . 5.
solve in
Aquae destillatae *partibus sedecim.* . . . . 16.

Utramque solutionem filtra et solutioni alteri inter agitationem solutionem alteram adde. Praecipitatum inde ortum in filtrum immitte, aqua destillata bene ablue et sicca.

Sit pulvis subtilissimus, laete coccineus, in aqua minima ex parte, in spiritu plane solubilis, accensus residui nihil relinquens.

In vasis bene clausis **cautissime** servetur.

Hydrargyrum chloratum mite.

Quecksilberchlorür.

Calomel. Hydrargyrum chloratum mite laevigatum. Hydrargyrum muriaticum mite. Mercurius dulcis. Calomelas.

Sublimatione paratum. Sit pulvis ponderosus, e subflavo albus, subtilissimus, in aqua et spiritu non solubilis, igne non liquescens et sine residuo avolans. Cum liquore kali vel natri caustici commixtus nigrescat neque odorem ammoniacalem emittat; cum aquae frigidae vel spiritus decuplo conquassatus praebeat filtratum, quod aqua hydrosulfurata ne mutetur. Acido nitrico ponderis specifici 1,4 inter vaporum rutilantium emissionem solvatur.

In vasis a luce remotis caute servetur.

Hydrargyrum chloratum mite vapore paratum.

Durch Dampf bereitetes Quecksilberchlorür.

Calomelas vapore paratum.

Pulvis tenuissimus albus, in mortario porcellaneo vi fortiore tritus colorem flavum accipiens, ceterum uti hydrargyrum chloratum mite sublimatione paratum se habeat.

Loco obscuro caute servetur.

Hydrargyrum depuratum.

Gereinigtes Quecksilber.

R. **Hydrargyri** *partes centum,* . . . . 100.
Acidi nitrici, ... 5.
Aquae destillatae, singulorum *partes quinque.* 5.

Immissas in vas vitreum idoneum digere, saepius agitando, per triduum. Tum liquore defuso hydrargyrum aqua destillata bene abluatur et in balneo vaporis perfecte siccetur.

Metallum ignitum ne residuum relinquat.

Hydrargyrum iodatum flavum.

Quecksilberjodür.

Gelbes Jodquecksilber. Hydrargyrum iodatum. Protoioduretum Hydrargyri.

R. **Hydrargyri depurati** *partes octo,* . . . . 8.
Iodi *partes quinque.* . . . . 5.

Iodum sensim cum **hydrargyro** in mortario porcellaneo adspersis **spiritus** nonnullis guttis contere, donec globuli hydrargyri oculis non amplius percipi possint et mixta colorem e subviridi flavum induerint. Tum spiritu elue et loco calido sicca.

Sit pulvis subtilis, e subviridi flavus, ponderosus, luce fuscescens, in aethere insolubilis, in aqua parce, in spiritu minime solubilis, ignitus plane avolans; pulvere cum spiritu bene conquassato filtratum aqua hydrosulfurata vix mutetur.

A luce remotum **cautissime** servetur.

Hydrargyrum nitricum oxydulatum.

Salpetersaures Quecksilberoxydul.

Sint crystalli parvae, coloris expertes, in aqua non sine decompositione, sed in aqua acidum nitricum continente perfecte solubiles.

Aqua calcariae superfusum e cinereo nigrescente colore obducatur. Solutio acido nitrico effecta et acido hydrochlorico plane praecipitata, tum filtrata neque stanno chlorato neque aqua hydrosulfurata mutetur.

In vasis bene obturatis **cautissime** servetur.

Hydrargyrum oxydatum rubrum.

Rothes Quecksilberoxyd.

Rother Quecksilberpräcipitat.

Mercurius praecipitatus ruber.

Sit pulvis non nitens, ponderosus, subtilissimus, ex flavescente ruber, ignitus sine exhalatione vaporum rutilorum avolans, in acido hydrochlorico et nitrico perfecte solubilis; acido oxalico ne mutetur.

A luce remotum **cautissime** servetur.

Hydrargyrum oxydatum via humida paratum.

Präcipitirtes Quecksilberoxyd.

R. **Hydrargyri bichlorati corrosivi** *partem unam.* . **1.**

Solutam in

Aquae destillatae calidae *partibus sex* . . . . . . **6.**

ingere inter perpetuam agitationem in

Liquoris Natri caustici *partem unam,* . . . . . . 1.
Aquae destillatae *partibus sex* . . . . 6.
antea dilutam et ebullientem. Praecipitatum inde ortum separa, aqua destillata fervida bene elue et leni calore sicca.

Pulvis subtilissimus, ponderosus, e rubro flavus, ignitus fere totus volatilis; acido oxalico soluto albescat.

Nonnisi disertis verbis ordinatum dispensetur.

A luce remotum **cautissime** servetur.

Hydrargyrum praecipitatum album.

Weisser Quecksilberpräcipitat.

Hydrargyrum amidato-bichloratum. Hydrargyrum ammoniato-muriaticum. Mercurius praecipitatus albus.

R. **Hydrargyri bichlorati corrosivi** *partes duas,* . 2.
solutas in
Aquae destillatae calidae *partibus quadraginta* . 40.
deinde refrigeratas et filtratas inter agitationem in
Liquoris Ammonii caustici *partes tres* . . . . . 3.
infunde, ut hic paullulum praevaleat, tum praecipitatum in filtro collige. Postquam humor de praecipitato quam maxime defluxit, bis
Aquae destillatae *partibus duodeviginti* . . . . . 18.
eluas. Loco obscuro siccetur.

Sit albissimum, non in aqua, sed in acido nitrico calido facile solubile; cum liquore natri caustici calefactum flavescens et vapores ammonii emittens; ignitum ne liquescat et plane avolet.

In vasis bene obturatis, a luce remotis **cautissime** servetur.

Hydrargyrum sulfuratum nigrum.

Schwarzes Schwefelquecksilber.

Aethiops mineralis.

R. **Hydrargyri depurati,**

Sulfuris depurati, singulorum *partes aequales.*

Modico calore tamdiu conterantur, donec in pulverem homogeneum nigrum mutata fuerint, in quo oculo arte adjuto globuli hydrargyri conspici non possint.

Sit pulvis subtilissimus, niger, ponderosus, in aqua, spiritu et acido hydrochlorico vel acido nitrico non solubilis, ignitus flamma caerulea et sine residuo deflagrans; cum acido hydrochlorico diluto calefactus praebeat filtratum, quod aqua hydrosulfurata ne mutetur.

Hydrargyrum sulfuratum rubrum.

Zinnober.

Cinnabaris.

Pulvis laete ruber, ignitus flamma caerulea et sine residuo deflagrans, vapores acidi sulfurosi exhalans; in aqua, spiritu, acido hydrochlorico vel acido nitrico et liquore kali vel natri caustici diluto non solubilis, in acido chloro-nitroso frigido solubilis.

Si cum acido nitrico conquassatur, color ne mutetur, tum leniter calefactum et aqua dilutum praebeat filtratum decolor, quod aqua hydrosulfurata admixta ne nigrescat. Cum aqua et liquore kali aut natri caustici sedulo conquassatum et calefactum praebeat filtratum decolor, quod acido hydrochlorico ne mutetur, sed plumbo acetico affuso praecipitatum album demittat.

Infusa.

Aufgüsse.

Infusa, ad quae substantiarum copia adhibendarum non praescripta est, ita parentur, ut ex *parte una* substantiae *partes decem* colaturae obtineantur. Ad **infusi concentrati** colaturae *partes decem* parandas adhibeatur substantiae *pars una et dimidia*, et ad **infusi concentratissimi** colaturae *partes decem* substantiae *partes duae* sumantur.

Substantiarum majoris efficaciae copia a medico definienda est.

Substantia, ex qua infusum parandum est, in vase idoneo, aqua ebulliente superfundatur et per quinque partes horae sexagesimas, vase clauso, in balneo vaporis aquae collocetur. Tum, vase ad refrigerationem seposito, liquor **frigidus** cum expressione coletur.

Infusum Sennae compositum.

Wiener Trank.

R. **Foliorum Sennae concisorum** *partes duas*. . . . 2.
Superfusae
Aquae communis fervidae *partibus duodecim* . 12.
stent per quinque partes horae sexagesimas in balneo vaporis et saepius agitentur. Deinde exprime, solve in colatura
Tartari natronati *partes duas*, ... 2.
Mannae communis *partes tres* . . . . 3.
et cola. Colaturae sint *partes quindecim*. . . . . . . 15.

Sit coloris fusci.

Iodoformium.

Jodoform.

Lamellae minimae crystallinae, tactu pingues, coloris citrini, odoris crocei, saporis ingrati, iodum referentis, calore 115 ad 120° liquescentes, in aqua ebulliente diffugientes, calore aucto plane avolantes, in aqua non solubiles, in spiritus frigidi partibus octoginta, in spiritus ebullientis partibus duodecim, in aetheris partibus viginti solubiles.

In vase epistomio vitreo bene clauso **caute** servetur.

Iodum.

Jod.

Tabulae ponderosae, e griseo nigrae, nitoris metallici, crystallinae, siccae, friabiles, odoris peculiaris; in aqua paullulum, in spiritus partibus decem, in aethere, chloroformio et carboneo sulfurato largiter solubiles; amyli cocti etiam minimam quantitatem colore violaceo tingant.

In vasis epistomiis vitreis clausis **caute** servetur.

Kali aceticum.

Essigsaures Kali.

Terra foliata Tartari.

Pulvis crystallinus, albissimus, fere neutralis, in aëre cito deliquescens, in aquae parte aequali, in spiritus partibus quatuor solubilis.

Aqua solutum ne aqua hydrosulfurata, neve ammonio sulfurato, neve baryo chlorato mutetur, argento nitrico autem ne nimis turbetur.

In vitris bene clausis servetur.

Kali bicarbonicum.

Saures oder doppelt-kohlensaures Kali.

Crystalli diaphanae, coloris expertes, in aëre persistentes, in aquae partibus quatuor lente, in spiritu vix solubiles.

Eodem modo quo kali carbonicum purum examinetur.

Kali carbonicum crudum.

Rohes kohlensaures Kali.

Rohe Pottasche. Cineres clavellati.

Sal albidum, plerumque caerulescens vel viridescens, saporis caustici alkalini, in aëre deliquescens, in aquae parte aequali maxima ex parte solubile.

Sit pulvis siccus, qui in acido hydrochlorico praevalente solutus ne aqua hydrosulfurata mutetur, neve flammam spiritus colore citrino tingat. In *centum partibus* ne minorem copiam quam *partes sexaginta quinque* kali carbonici neve majorem aquae copiam quam *partes duodeviginti* contineat.

Kali carbonicum depuratum.

Gereinigtes kohlensaures Kali.

Kali carbonicum e cineribus clavellatis.

Pulvis albus, siccus, granulosus, in aquae parte aequali fere plane solubilis.

In aqua solutum acidoque hydrochlorico praevalente mixtum aqua hydrosulfurata ne mutetur, baryo chlorato paullum modo turbetur. In *centum partibus* circiter *partes octoginta* kali carbonici et partes aquae *quindecim* ad *duodeviginti* contineat. Ab aqua plane liberatum in *centum partibus* minimum *partes nonaginta duas* kali carbonici contineat.

In vasis bene clausis servetur.

Kali carbonicum purum.

Reines kohlensaures Kali.

Kali carbonicum e Tartaro. Sal Tartari.

Sit albissimum, in aquae parte aequali limpide et plane solubile. Solutio diluta cum acido nitrico praevalente mixta ne aqua hydrosulfurata neve baryta nitrica mutetur, argento nitrico autem ne nimis turbetur.

In vasis bene clausis servetur.

Kali causticum fusum.

Aetzkali.

Aetzstein. Kali hydricum fusum.
Lapis causticus chirurgorum.

Bacilli albi, sicci, fragiles, in fractura crystallini, valde caustici, in aëre deliquescentes.

In aquae duplo solutum, tum cum quantitate quadruplici spiritus commixtum tantummodo praecipitatum minimum crystallinum vel sedimentum aquosum praebeat, acido nitrico affuso non nimis effervescat, cum acido sulfurico praevalente mixtum solutionem indici ne decoloret. Ceterum ad reagentia uti liquor kali caustici se habeat.

Caute servetur.

Kali chloricum.

Chlorsaures Kali.

Kali muriaticum oxygenatum.

Crystalli lamellares vel tabulaeformes, coloris expertes, nitentes, in aëre persistentes, in aquae frigidae partibus sedecim vel septendecim, in aquae ebullientis partibus tribus solubiles.

Aqua solutum argento nitrico addito paullum modo turbetur.

Kali hypermanganicum crystallisatum.

Uebermangansaures Kali.

Crystalli intense fuscae, chalybis instar nitentes, aciculares vel prismaticae, in aquae frigidae partibus sedecim, in aquae fervidae partibus duabus solubiles.

In vasis epistomiis vitreis clausis servetur.

Kali nitricum.

Salpeter.

Kalisalpeter. Nitrum depuratum.

Crystalli pellucidae, coloris expertes prismaticae, in aëre persistentes vel pulvis albus crystallinus, in aquae frigidae partibus tribus, in aquae ebullientis minore copia quam parte dimidia solubilis.

Solutio aquosa diluta ne baryo chlorato, argento nitrico ne nimis turbetur.

Kali sulfuricum.

Schwefelsaures Kali.

Tartarus vitriolatus depuratus.
Arcanum duplicatum depuratum.

Crystalli albae, durae, prismaticae, vel crustae crystallinae in aëre, etiam calidiore, persistentes, in aquae frigidae partibus novem, in aquae fervidae partibus quatuor solubiles.

Solutio aquosa, quae sit neutralis, ne ammonio sulfurato neve kali carbonico turbetur.

Kali tartaricum.

Neutrales weinsaures Kali.

Tartarus tartarisatus.

Crystalli coloris expertes, diaphanae, in aquae frigidae tribus quadrantibus, in aquae fervidae parte dimidia solubiles.

Solutio aquosa sit neutralis vel vix alkalina, ne ammonio sulfurato, neve ammonio oxalico, etiam cum acido nitrico praevalente mixta ne aqua hydrosulfurata neve baryo chlorato mutetur, argento nitrico ne nimis turbetur.

In vasis bene clausis servetur.

Kalium bromatum.

Bromkalium.

Kali hydrobromicum.

Crystalli albae cubicae, nitentes, in aëre persistentes, in aqua et spiritu facile solubiles.

Acido sulfurico diluto superfusum colorem ne induat. Solutio aquosa, cui copiae parvae acidi nitrici fumantis, tum chloroformii additae sunt, dein agitata chloroformium e violaceo rubrum ne tingat. E destillatione cum kali bichromico et acido sulfurico liquor ruber colligatur, qui liquore ammonii caustici praevalente admixto fiat decolor, neutiquam luteus tingatur, quo colore chlorum adesse indicatur.

Kalium ferrocyanatum.

Ferrocyankalium.

Blutlaugensalz. Ferro-Kalium cyanatum.

Kali Borussicum.

Crystalli magnae, cohaerentes, flavae, columnas aut tabulas breves quadratas sistentes, in aëre non fatiscentes, in aquae frigidae partibus quatuor, in aquae fervidae partibus duabus solubiles, in spiritu non solubiles.

Acido sulfurico diluto superfusum ne effervescat, tum calefactum acidum hydrocyanicum emittat. Solutio aquosa valde diluta baryo chlorato ne turbetur.

Kalium iodatum.

Jodkalium.

Kali hydroiodicum.

Crystalli cubicae, coloris expertes, in aëre sicco non humescentes, in aquae tribus quadrantibus, in spiritus partibus sex solubiles, solutionem neutralem vel parce alkalinam praebentes.

Solutio aquosa ne aqua calcariae, neve baryo chlorato turbetur, neve acido sulfurico diluto fuscetur. Praecipitatum argento nitrico in solutione effectum, bene elotum et cum liquore ammonii caustici conquassatum liquorem filtratum praebeat, qui addita acidi nitrici copia abundante turbidus modo appareat, praecipitatum autem non efficiat.

In vasis bene clausis **caute** servetur.

Kalium sulfuratum.

Kalischwefelleber.

Hepar Sulphuris ad usum internum.

R. **Sulfuris depurati** *partem unam,* . . . . 1.
Kali carbonici puri *partes duas.* . . . . 2.

Intime mixtae in vase porcellaneo leni igni exponantur, donec post effervescentiam massa tranquille fluat et portiuncula exemta in aquae partibus duabus perfecte solvatur. Tum massa in mortarium porcellaneum effusa et in fragmenta vel in pulverem crassum redacta statim in vas siccum bene claudendum ingeratur.

Sit coloris fusci instar hepatis, deinde ex viridi flavi, perfecte in aquae partibus circiter duabus et in spiritu solubile.

Kalium sulfuratum ad balneum.

Schwefelleber zum Bade.

Kali sulphuratum pro balneo.

Hepar Sulphuris pro balneo.

R. **Sulfuris** *partem unam,* . . . . 1.
Kali carbonici crudi siccati *partes duas.* . . . . 2.

Mixtae in sartagine ferrea satis ampla et tecta leni igni exponantur, donec effervescere cessaverint et in massam homogeneam coierint, quam in laminam ferream aut in mortarium ferreum effunde. Massam refrigeratam in fragmenta vel in pulverem crassum redactam statim in vas bene claudendum ingere.

Sit coloris e flavo viridis, in aqua destillata excepto residuo parvo solubile.

Kamala.

Kamala.

Glandulae Rottlerae.

Rottlera tinctoria *Roxburgh.*

Pulvis subresinosus, colore latericio, constans e glandulis minutis, depresso-subglobosis, vesiculas clavatas, balsamo repletas continentibus.

Sit a pilis minutis stellatis, semper immixtis, multo levioribus, quantum fieri potest, et ab arena libera.

Kino.

Kino.

Gummi vel Resina Kino.

Pterocarpus Marsupium *Martius.*

Frustula irregularia, angulosa, ex atro fusca, splendentia, in margine rubicundo diaphana, facile friabilia, pulverem rubrum praebentia, inodora, manducata valde adstringentia; in aqua frigida turgescentia et pallescentia, aquam autem colore subrubente tingentia, in aqua fervida turbide, in spiritu colore saturate rubicundo solubilia.

Kreosotum.

Kreosot.

Buchenholztheerkreosot.

Liquor coloris expers, tempore flavescens aut rubescens, limpidus, odoris penetrantis, calore 200° superante ebulliens, in aquae frigidae partibus octoginta, in aquae fervidae partibus viginti quatuor, in spiritus, aetheris,

oleorum copia quantacumque et in liquore kali caustici perfecte solubilis.

Cum liquore ammonii caustici misceri ne possit, neve solutio aquosa liquore ferri sesquichlorati addito caerulescat.

Caute servetur.

Lactucarium.

Giftlattichsaft.

Lactucarium Germanicum.

Lactuca virosa *Linn.*

Frusta irregularia, flava aut e flavo fusca, sicca, friabilia, fractura cerea, odore gravi narcotico, sapore subamaro. Cum aqua trita solutionem turbidam praebentia, massam tenacem relinquentia, et in spiritu et in aethere ex parte solubilia.

Caute servetur.

Laminaria.

Laminaria Cloustoni *Edmonston* (ex parte **Laminaria digitata *Lamouroux***).

Stipites quinquaginta ad centum centimetros longi, dimidium ad unum centimetrum crassi, teretes vel compressiores, grosse sulcati, rugosi, cornei, paullum elastici, coloris fusci, in rugis profundioribus interdum sale albido, e natrio chlorato constante, inspersi. In aqua macerati colorem ex olivaceo viridem vel porraceum et consistentiam cartilaginosam ducunt atque ad crassitiem circiter quadruplicem turgescunt.

Stipites crassiores praeferendi sunt.

Lichen Islandicus

Isländisches Moos.

Isländische Flechte.

Cetraria Islandica ***Acharius*** **(Lichen Islandicus** ***Linn.*****).**

Thallus erectus, foliaceus, varie laciniatus, fimbriatus, canaliculatus, antica parte fuscus, postica pallidior, in basi sanguineus, in sicco rigidus, fragilis, humectatus mollescens, subcoriaceus; saporis amari, cum aqua coctus post refrigerationem gelatinam praebens.

Lichenes alieni, praesertim e familia Cladoniacearum, muscique varii et folia Pinorum et aliae quisquiliae semper Licheni Islandico admixtae sunt, ex quo conciso cribri ope facillime removeantur.

Lichen Islandicus ab amaritie liberatus.

Entbittertes Isländisches Moos.

R. **Lichenis Islandici** concisi *partes quinque*. . . . . 5.
Superfunde
Aquae communis tepidae *partes triginta*, ... 30.
Liquoris Kali carbonici *partem unam*. . . . . . 1.

Sepone per horas tres, tum liquore defuso residuum aqua communi frigida bene ablue et sicca.

Lignum Campechianum.

Blauholz.

Campecheholz.

Haematoxylon Campechianum *Linn.*

Lignum in truncorum codicibus magnis, extrinsecus e caeruleo atris, intus intense e fusco rubris, durum, ponderosum, in fissura grosse fibrosum, in segmento transverso circulis concentricis, inter se proximis, undulatis et radiis medullaribus decussatum; odoris proprii tenuis, saporis subdulcis, inter masticandum subadstringens et salivam colore violaceo tingens. In officinis merx prostat scissa in scobes vel ramentorum crines interdum nitore ex aureo viridescente praeditos.

Lignum Guajaci.

Guajakholz.

Pockholz. Franzosenholz. Lignum sanctum.

Guajacum officinale *Linn.*

Lignum ponderosum, compactum, durum; duramine resinoso, e subviridi fusco, alburno leviore, pallide subflavo; calefactum odorem benzoinum spargit.

Rasura venalis frustulis albidis, ex alburno vel e lignis alienis ortis, ne sit nimis mixta.

Lignum Quassiae.

Quassia.

Quassiaholz.* *Lignum Quassiae Surinamensis.

Quassia amara *Linn.*

Lignum albidum, leve, in segmento transverso radiis medullaribus circulisque concentricis etiam sub lenticula angustissimis decussatum, in fustibus cylindricis, ad octo centimetros crassis, cortice tenui, facile separabili obtectis vel decorticatis, saporis amarissimi.

Rasura venalis ne adhibeatur, neve lignum Picrasmae excelsae *Planchon,* quod vocant Jamaicense, quod prostat in truncis circiter tres decimetros crassis, in segmento transverso radiis medullaribus circulisque concentricis latioribus, oculo nudo satis manifestis instructis, cortice crassiore lignoso tectis.

Lignum Sassafras.

Sassafras.

Fenchelholz.

Sassafras officinale *Nees.*

Radix magna, lignosa, ramosa, in fustibus flexuosis, variae magnitudinis; cortice crassiore, suberoso, extrinsecus rimoso, griseo, intus ferrugineo; ligno levi, subspongioso, pallide subfusco vel pallide rubente, in segmento transverso praesertim ad initum annuli cujusque annui concentrici manifeste poroso; odoris foeniculacei, saporis subdulcis.

Linimentum ammoniatum.

Flüchtiges Liniment.

Linimentum volatile.

R. **Olei Olivarum Provincialis** *partes quatuor*, . . . **4.**
Liquoris Ammonii caustici *partem unam.* . . . . **1.**
In vase vitreo conquassentur, donec perfecte coïerint.

Sit albidum subfluidum; ne, si sepositum est, partes, quibus continetur, inter se separentur. Cave ne rancidum sit.

Linimentum ammoniato-camphoratum.

Flüchtiges Kampferliniment.

R. **Olei camphorati** *partes quatuor*, ... **4.**
Liquoris Ammonii caustici *partem unam.* . . . . **1.**
In vase vitreo conquassentur, donec perfecte coïerint.

Sit albidum, subfluidum, homogeneum.

Linimentum saponato-ammoniatum.

Flüssiges Seifenliniment.

R. **Saponis domestici rasi** *partem unam*. . . . . . . **1.**
Solve digerendo in
Aquae communis *partibus triginta*, ... **30.**
Spiritus *partibus decem*, ... **10.**
tum admisce
Liquoris Ammonii caustici *partes quindecim.* . **15.**

In vasis bene clausis servetur.

Linimentum saponato-camphoratum.

Opodeldok.

R. **Saponis domestici pulverati** *partes sedecim,* . 16.
Saponis oleacei pulverati, ... 8.
Camphorae, singulorum *partes octo.* . . . . . . 8.
Leni calore solve in
Spiritus *partibus trecentis et viginti,* . . . . . . 320.
tum liquorem adhuc calidum infundibulo tecto filtra. Deinde, admixtis
Olei Thymi *parte una,* . . . . 1.
Olei Rosmarini *partibus duabus,* . . . . 2.
Liquoris Ammonii caustici *partibus sedecim,* . 16.
infunde in vasa vitrea minora, quae bene clausa in aqua frigida quam citissime refrigerentur.

Sit ex albo subflavum, subdiaphanum, opalescens, ne nimis durum, manus calore facile liquescens.

Linimentum saponato-camphoratum liquidum.

Flüssiger Opodeldok.

R. **Saponis oleacei rasi** *partes triginta,* . . . . . . 30.
Spiritus diluti *partes ducentas et triginta,* . . . 230.
Camphorae *partes quinque.* . . . . 5.
Leni calore fiat solutio, cui immisce
Olei Thymi *partem unam,* . . . . 1.
Olei Rosmarini *partes duas,* . . . . 2.
Liquoris Ammonii caustici *partes octo.* . . . . 8.
Liquorem refrigeratum filtra.

Sit limpidum, subflavum.

Liquor Ammonii acetici.

Essigsaure Ammoniumflüssigkeit.

Spiritus Mindereri.

R. **Liquoris Ammonii caustici** *partes decem*. . . . . **10.**
Admisce
Acidi acetici diluti *partes novem* . . . . **9.**
vel quantum ad neutralisationem requiritur.
Tum adde
Aquae destillatae *eam quantitatem,*
ut pondus totius liquoris *partibus triginta* . . . . . . **30.**
expleatur.

Sit limpidus, coloris expers, plane volatilis, quantum potest neutralis, ponderis specifici 1,028 ad 1,032. Partes liquoris centum continent ammonii acetici partes quindecim. Ne aqua hydrosulfurata neve baryo chlorato turbetur.

Liquor Ammonii anisatus.

Anishaltige Ammoniumflüssigkeit.

Ammoniacum solutum anisatum.

Spiritus Salis ammoniaci anisatus.

R. **Olei Anisi** *partem unam*. . . . . **1.**
Solve in
Spiritus *partibus viginti quatuor* . . . . **24.**
et admisce
Liquoris Ammonii caustici *partes quinque*. . . . **5.**

Sit limpidus, subflavus.

In vasis bene clausis servetur.

Liquor Ammonii carbonici.

Kohlensaure Ammoniumflüssigkeit.

R. **Ammonii carbonici** *partem unam.* . . . . 1.
Solve in
Aquae destillatae *partibus quinque.* . . . . 5.

Sit limpidus, coloris expers, plane volatilis, ponderis specifici 1,070 ad 1,074.

In vasis epistomiis vitreis bene clausis servetur.

Liquor Ammonii carbonici pyro-oleosi.

R. **Ammonii carbonici pyro-oleosi** *partem unam.* . 1.
Solutam in
Aquae destillatae *partibus quinque* . . . . 5.
sepone per aliquot dies et filtra.

Sit limpidus, subflavus, paullatim e flavo fuscescens, plane volatilis, ponderis specifici 1,070 ad 1,074.

In vasis bene clausis et a luce remotis servetur.

Liquor Ammonii caustici.

Salmiakgeist.

Aetzammoniakflüssigkeit.

Spiritus Salis ammoniaci causticus.

Sit limpidus, coloris expers, odoris non empyreumatici, plane volatilis, ponderis specifici 0,960.

Aquae calcariae pari pondere mixtus levissimam tantum turbationem praebeat; acido nitrico juste saturatus et aqua destillata largius dilutus argento nitrico paullulum tan-

tummodo turbetur, ne ammonio sulfurato, neve aqua hydrosulfurata mutetur; ammonio oxalico minime turbetur. Contineat *decem partes* ammonii (NH_3) in *centum partibus*.

In vasis epistomiis vitreis bene clausis servetur.

Liquor Ammonii caustici spirituosus.

Spiritus Ammoniaci caustici Dzondii.

Spiritus ponderis specifici 0,830 ammonio gasiformi eo usque impraegnetur, donec pondus specificum 0,808 ad 0,810 assecutus fuerit. Contineat circiter *partes decem* ammonii (NH_3) *in centum partibus.*

Aqua dilutus ad reagentia uti liquor ammonii caustici se habeat.

In vasis epistomiis vitreis bene clausis servetur.

Liquor Ammonii succinici.

Bernsteinsaure Ammoniumflüssigkeit.

Ammoniacum succinicum solutum.

Liquor Cornu Cervi succinatus.

R. **Acidi succinici pulverati** *partem unam.* . . . . . 1.
Solutae in

Aquae destillatae *partibus octo* . . . . 8.
adde

Ammonii carbonici pyro-oleosi *partem unam* . . 1.
vel quantum ad neutralisationem requiritur.

Liquorem per horas viginti quatuor sepone et filtra.

Sit limpidus, subfuscus, sensim fuscescens, chartam exploratoriam non mutans, odoris empyreumatici, ponderis specifici 1,050 ad 1,054. Cum spiritus triplici

quantitate mixtus pellucidus permaneat et ad siccum evaporatus calore aucto residui nihil relinquat.

In vasis bene obturatis servetur.

Liquor Ferri acetici.

Essigsaure Eisenflüssigkeit.

R. **Liquoris Ferri sulfurici oxydati** *partes decem.* 10.

Aquae destillatae *partibus triginta* . . . . 30.

dilutas inter agitationem immisce

Liquoris Ammonii caustici *partibus octo,* . . . . 8.

antea dilutis

Aquae destillatae *partibus centum sexaginta,* . 160.

sed cura, ut reactio alkalina praevaleat.

Praecipitatum inde ortum in linteum immissum aqua destillata bene eluatur, et exprimatur, donec pondus assecutum sit *partium quinque.* . . . . 5.

Huic ferro oxydato in lagenam immisso affunde

Acidi acetici diluti *partes sex,* . . . . 6.

et saepius agitando per aliquot dies loco frigido sepone, dein filtra. Liquori filtrato tantum aquae destillatae adde, ut pondus sit *partium decem.* . . . 10.

Sit coloris intense ex rubro fusci, acidum aceticum redolens, calefactus turbetur, ponderis specifici 1,134 ad 1,138, ferri *partes octo* continens in *partibus centum.* Cum liquore ammonii caustici praevalente mixtus praebeat filtratum, quod aqua hydrosulfurata ne turbetur, neve ad siccum evaporatum calore aucto residuum ullum relinquat.

In vasis bene clausis servetur.

Liquor Ferri chlorati.

Flüssiges Eisenchlorür.

Ferrum chloratum solutum.

Liquor Ferri muriatici oxydulati.

R. Acidi hydrochlorici *partes quingentas viginti.* **520.**
In cucurbitam satis amplam infusis paullatim immitte

Ferri in filis seu limati *partes centum et decem.* **110.**
Quum gasis evolutio fere cessaverit, cucurbita per aliquot horas stet in balneo vaporis, tum liquori a ferro non soluto filtratione accelerata separato,

Acidi hydrochlorici *parte una* . . . . **1.**
addita, tantum aquae destillatae admisceatur, ut pondus par sit *mille partibus*. . . . . **1000.**

Liquoris *centum partes* contineant ferri *partes decem.* Pondus specificum sit 1,226 ad 1,230.

Sit limpidus, coloris subviridis; spiritu admixto ne turbetur, aqua hydrosulfurata addita tantum minimam turbationem albam praebeat. Liquore natri caustici praevalente admixto filtratum efficiatur, quod aqua hydrosulfurata ne turbetur.

In vasis bene clausis, non amplis servetur.

Liquor Ferri sesquichlorati.

Flüssiges Eisenchlorid.

Ferrum sesquichloratum solutum.

Liquor Ferri muriatici oxydati.

Liquor limpidus, coloris e croceo fusci, ponderis specifici 1,480 ad 1,484. Contineat ferri *partes quindecim*

vel ferri sesquichlorati ab aqua liberi *partes quadraginta tres et dimidiam* (43,5) in *centum partibus.*

Spiritus quadruplici volumine commixtus et per longius tempus sepositus permaneat pellucidus; aqua dilutus baryo chlorato ne turbetur. Liquor aqua dilutus et cum liquore ammonii caustici praevalente mixtus filtratum praebeat, quod cum acido sulfurico praevalente mixtum guttas aliquot kali hypermanganici et indici soluti ne decoloret, neve aqua hydrosulfurata mutetur, evaporatum calore aucto residuum ullum ne relinquat.

In vasis epistomiis vitreis clausis, a luce remotis servetur.

Liquor Ferri sulfurici oxydati.

Flüssiges schwefelsaures Eisenoxyd.

R. **Ferri sulfurici puri** *partes quadraginta*. . . . . . 40.
Solutis in
Aquae destillatae *partibus quadraginta* . . . . . . 40.
admisce
Acidi sulfurici *partes septem*. . . . . 7.
Liquori in patina porcellanea fervefacto instilla
Acidi nitrici *partes duodecim* . . . . 12.
vel tantum, ut reactione peracta liquoris portiuncula kali hypermanganicum solutum non amplius decoloret. Tum liquor in massam resinae instar evaporet, dein solvatur in
Aquae destillatae *partibus quadraginta*, ... 40.
filtretur et ea aquae destillatae quantitate diluatur, ut pondus specificum sit 1,317 ad 1,319.

Sit limpidus, e subfusco flavus, spissitudinis syrupi; ferri *octo partes* contineat in *centum partibus*. Cum liquore ammonii caustici praevalente mixtus praebeat filtratum, quod aqua hydrosulfurata ne turbetur, et ad siccum evaporatum calore aucto residui nihil relinquat.

In vasis bene clausis a luce remotis servetur.

Liquor Hydrargyri nitrici oxydulati.

Flüssiges salpetersaures Quecksilberoxydul.

Hydrargyrum oxydulatum nitricum solutum.

Liquor Bellostii.

R. **Hydrargyri nitrici oxydulati** *partes centum.* . 100.

In mortario porcellaneo subtiliter tritis adde

Acidi nitrici *partes quindecim,* . . . . 15.

et sensim, calore evitato, solve in

Aquae destillatae *partibus octingentis octoginta quinque.* . . . . 885.

Sit limpidus, coloris expers, contineat *decem partes* hydrargyri nitrici oxydulati in *centum partibus*. Ad reagentia uti Hydrargyrum nitricum oxydulatum se habeat.

Non nisi ad dispensationem paretur.

Liquor Kali acetici.

Kali aceticum solutum. Liquor Terrae foliatae Tartari.

R. **Acidi acetici diluti** *partes centum,* . . . . 100.

quibus paullatim ingere

Kali bicarbonici *partes quadraginta octo,* . . . 48.

tum liquori in vase porcellaneo calefacto adde

Kali bicarbonici

quantum ad neutralisationem requiritur.

Deinde liquor

Aquae destillatae *ea quantitate*

diluatur, ut *partes centum et quadraginta duae* . . **142.**

expleantur.

Sit limpidus, neutralis, coloris expers, ponderis specifici 1,176 ad 1,180. *Tres partes* contineant *partem unam* kali acetici sicci. Ad reagentia uti kali aceticum se habeat.

Liquor Kali arsenicosi.

Fowler'sche Tropfen.

Solutio arsenicalis Fowleri.

R. **Acidi arsenicosi** in frustulis, ... **1.**

Kali carbonici puri sicci, singulorum *partem unam.* **1.**

In vitrum cylindricum probatorium immissis instilla

Aquae destillatae *partem unam,* . . . . **1.**

tum coque, donec liquor limpidus effectus fuerit, cui admisce

Aquae destillatae circiter *partes quadraginta.* . **40.**

Liquori refrigerato postremo admisce

Aquae destillatae *eam quantitatem,*

ut pondus liquoris totius sit *partium nonaginta.* . . **90.**

Cautissime servetur et ut leges publicae praescripserunt, dispensetur.

Nota. Liquoris Kali arsenicosi *partes nonaginta* (90) continent Acidi arsenicosi *partem unam* (1).

Liquor Kali carbonici.

Kali carbonicum solutum.

R. **Kali carbonici puri** *partes undecim*. . . . . **11.**
Solve in
Aquae destillatae *partibus viginti* . . . . **20.**
vel quantum requiritur, ut liquor ponderis specifici 1,330 ad 1,334 efficiatur. Liquoris *tres partes* contineant *partem unam* kali carbonici sicci.

Sit limpidus, coloris expers; ad reagentia uti kali carbonicum purum se habeat.

Liquor Kali caustici.

Aetzkalilauge.

Kali hydricum solutum. Lixivium causticum.

Liquor limpidus, coloris expers aut paullum flavidus, valde causticus, ponderis specifici 1,330 ad 1,334; tres partes continent partem unam kali hydrici (KHO).

Acido nitrico affuso ne nimis effervescat. Liquor acido nitrico diluto admixto acidulus cum argento nitrico parvam modo, cum baryo chlorato minimam turbationem praebeat.

In vasis epistomiis vitreis bene clausis **caute** servetur

Liquor Natri carbolici.

R. **Acidi carbolici puri** *partes quinque*. . . . . **5.**
Leni calore liquatis admisce
Liquoris Natri caustici *partem unam*, ... **1.**
Aquae destillatae *partes quatuor*. . . . . **4.**

Sit limpidus, ponderis specifici 1,060 ad 1,065, reactionis paullum alkalinae, cum aquae et spiritus copia quantacunque misceri potest.

Non nisi ad dispensationem paretur.

Liquor Natri caustici.

Aetznatronlauge.

Natrum hydricum solutum.

Liquor limpidus, coloris expers aut paullum modo subflavus, valde causticus, ponderis specifici 1,330 ad 1,334. Continet *partes triginta* vel *triginta unam* natri hydrici (NaHO) in *centum partibus*.

Ad reagentia uti liquor kali caustici se habeat.

In vasis epistomiis vitreis bene clausis **caute** servetur.

Liquor Natri chlorati.

Bleichflüssigkeit.

Liquor Natri hypochlorosi.

R. **Calcariae chloratae** *partes viginti.* . . . . **20.**

In vitrum immissis et cum

Aquae communis *partibus centum* . . . . **100.**

saepius conquassatis adde

Natri carbonici crudi *partes viginti quinque*, . . **25.**

antea solutas in

Aquae communis *partibus quinquaginta*. . . . . **50.**

Sepone per aliquot horas, tum liquorem limpidum defunde.

Sit limpidus, coloris expers, chlorum paullum redolens. *Partes mille* liquoris contineant minimum *partes quinque* chlori efficacis, admixtis igitur ferri sulfurici puri *partibus quadraginta* et acidi hydrochlorici quantitate sufficiente, liquor cum kalio ferricyanato mixtus colore fusco inficiatur, nequaquam praecipitatum caeruleum demittat.

Liquor Plumbi subacetici.

Bleiessig.

Acetum plumbicum s. saturninum.

Plumbum hydrico-aceticum solutum.

R. **Plumbi acetici** *partes tres,* . . . . **3.**

Lithargyri subtilissime pulverati *partem unam.* . **1.**

Conterendo exacte mixtae in vas porcellaneum immittantur et vase tecto in balneo vaporis calefiant, donec ad massam albam liquatae fuerint. Tum admisce

Aquae destillatae calidae *partes decem,* . . . . **10.**

agita et liquorem fere refrigeratum filtra.

Sit limpidus, coloris expers, reactionis paullum alkalinae, ponderis specifici 1,235 ad 1,240.

Caute in vasis bene clausis servetur.

Liquor seriparus.

Laabessenz.

De abomaso vituli lactentis aqua abluto tunica interna mucosa deradendo colligatur.

Hujus tunicae recens collectae *partibus tribus* . 3.
affunde

Vini albi *partes viginti sex*, ... 26.
tum adde

Natrii chlorati *partem unam*. . . . . 1.
Per triduum saepius agitando macera, tum filtra.

Sit limpidus, coloris subflavi; acidi nonnisi valde exiguam copiam contineat.

Liquor Stibii chlorati.

Spiessglanzbutter.

Butyrum Antimonii s. Stibii.

R. **Stibii sulfurati nigri laevigati** *partem unam*, . . 1.

Acidi hydrochlorici *partes quinque*. . . . . 5.
In cucurbitam vitream immissas digere calore sensim aucto, quamdiu gas evolvitur. Liquor refrigeratus per alumen plumosum filtretur et e retorta destillet, donec liquor destillans cum aqua mixtus lactescat. Tum liquor in retorta residuus

Acidi hydrochlorici diluti *ea quantitate*
diluatur, ut sit ponderis specifici 1,34 ad 1,36.

Sit limpidus, flavidus, spissitudine olei, calore modico plane avolans; cum aquae partibus quatuor vel quinque mixtus in pultem abeat, et liquor filtratione ex hac pulte collectus, addito acido tartarico, ne natro sulfurico turbetur, neve liquore ammonii caustici praevalente colore caeruleo inficiatur.

In vitris epistomiis vitreis bene clausis **caute** servetur.

Lithargyrum.

Bleiglätte.

Plumbum oxydatum.

Pulvis flavidus vel e rubro flavescens, ponderosus.

In acido nitrico diluto effervescentia vix manifesta fere vel plane solvatur. Haec solutio cum acidi sulfurici copia abundante mixta filtratum praebeat, quod liquore ammonii caustici praevalente addito ne caeruleum tingatur, neve plus quam vestigia ferri oxydati demittat. Cum acido acetico aqua diluto iterum ac saepius coctum parvam tantum copiam plumbi metallici relinquat.

Caute servetur.

Lithium carbonicum.

Kohlensaures Lithion.

Pulvis albus, inodorus, reactionis alkalinae, in aqua et in spiritu solubilis, calore aucto liquescens, inter refrigerationem in massam crystallinam rigescens.

In aquae minore copia quam centum partibus ne sit solubile; acido hydrochlorico solutum evaporando residuum exhibeat, quod spiritu cum aetheris pari pondere commixto plane solvatur, atque in aqua solutum ne ammonio oxalico neve natro carbonico turbetur.

Lycopodium.

Bärlappsamen.

Streupulver. ***Semen Lycopodii.***

Lycopodium clavatum *Linn.*

Pulvis subtilissimus, microscopii ope conspectus ex cellulis constans minutissimis, reticulate costatis, tetragono-globosis, pyramidem trigonam, in basi maxime convexam exhibentibus; maxime mobilis, digitis adhaerens, coloris pallide flavi, aquae innatans, quacum difficilius misceri potest, flammae inspersus celerrime cum strepitu sine fumo deflagrans.

Sit plane siccus, a quisquiliis liber, ne adulteratus polline saturatius flavo Pinorum, Coryli aliarumque plantarum certissime microscopii ope discernendo, neve amylo neve farina pisi, quae caeruleo colore instillata iodi solutione cognoscuntur, neve arena.

Macis.

Macis.

Muskatblüthe. ***Arillus Myristicae.***

Myristica fragrans *Houttuyn.*

Arillus seminis tunicam exhibens ooideam, tenuem, subcorneam, fragilem, aurantiaci coloris, pinguiter nitentem, in basi integram, sed perforatam, sursum laceram et multifidam, in mercatura compressam vel fractam; manducatus urens, odoris peculiaris aromatici.

Magnesia carbonica.

Weisse Magnesia.

Magnesia alba. Magnesia hydrico-carbonica.

Massae albissimae cohaerentes, valde friabiles, levissimae, saporis expertes, in acido nitrico cum effervescentia solubiles.

Solutio acida ammonio carbonico addito praecipitatum ne praebeat, et baryo chlorato et argento nitrico ne nimis turbetur, aqua hydrosulfurata nullo modo mutetur. Cum aqua cocta filtratum praebeat, quod evaporatum minimum modo residuum relinquat.

Magnesia citrica effervescens.

R. **Magnesiae carbonicae** *partes viginti quinque*, . . 25.
Acidi citrici *partes septuaginta quinque*, ... 75.
Aquae destillatae *quantum satis.*

Misceantur, ut fiat puls crassior, quae calore 30° non superante siccetur Hujus massae siccae *partes quatuordecim*, ... 14.
admixtis

Natri bicarbonici *partibus tredecim*, ... 13.
Acidi citrici *partibus sex*, ... 6.
Sacchari optimi pulverati *partibus tribus*, . . . 3.

spiritus copiam sufficientem inspergendo humectatae per cribrum ferreum stanno obductum trajiciantur, ut fiat pulvis grossus granulosus, qui loco tepido siccetur.

In vitris bene clausis servetur.

Magnesia lactica.

Milchsaure Magnesia.

R. **Acidi lactici** *partem unam*, ... 1.
Aquae destillatae *partes decem*. . . . . 10.

Mixtis et paullum calefactis adde

Magnesiae carbonicae *quantum sufficit*,

ut liquor neutralis efficiatur, qui filtratus evaporando in crystallos vel massam crystallinam redigatur.

Sint crystalli prismaticae aut crustae crystallinae cohaerentes, coloris expertes, in aëre persistentes, saporis vix amaricantis, in aquae frigidae partibus circiter viginti sex, in aquae ebullientis partibus tribus et dimidia solubiles, in spiritu non solubiles. In aqua solutae chartam exploratoriam ne mutent; calefactae aquam emittant, tum calore aucto carbonescant et magnesiam relinquant, quae pondus dimidium crystallorum aequet.

Magnesia sulfurica.

Bittersalz.

Sal amarum. Sal Anglicum.

Crystalli parvae, prismaticae, coloris expertes, in aëre vix subfatiscentes, saporis amari salsi refrigerantis, in aquae frigidae partibus tribus, in aquae fervidae parte una solubiles, solutionem neutralem praebentes.

Soluta ne aqua hydrosulfurata, neve tinctura gallarum mutetur, neve argento nitrico turbetur. Una pars salis cum partibus tribus barytae carbonicae et aquae copia sufficiente cocta filtratum reactionis alkalinae ne praebeat.

Magnesia sulfurica sicca.

Magnesia sulfurica loco tepido dilabatur, donec quadrantem ponderis sui amiserit. Pulvis per cribrum trajiciatur.

Pulvis subtilis albus, puritatis salis crystallisati.

In vasis bene clausis servetur.

Si pulvis magnesiae sulfuricae postulatur, magnesia sulfurica sicca dispensetur.

Magnesia usta.

Gebrannte Magnesia.

Pulvis levissimus, albissimus, subtilis.

Sit sine ulla gasis evolutione in acido sulfurico diluto solubilis. Ceterum ad reagentia uti magnesia carbonica se habeat.

In vasis bene clausis servetur.

Manganum hyperoxydatum.

Braunstein.

Massae ponderosae, crystallinae aut compactae, e cinereo nigrescentes, nitoris metallici, friabiles, digitos inquinantes, cum acido hydrochlorico calefactae chlorum emittentes.

Partes decem in pulverem subtilissimum redactae cum acidi hydrochlorici diluti partibus ducentis et ferri sulfurici puri partibus quadraginta digestae et ad bullitum usque calefactae praebeant filtratum, quod kalio ferricyanato caeruleum ne tingatur. *Centum partes* igitur contineant *partes sexaginta* mangani hyperoxydati puri.

Manna.

Manna.

Fraxinus Ornus ***Linn.***

Manna purissima frusta habet septem ad viginti centimetros longa, duos ad quatuor centimetros lata, plus minusve plana, canaliculata vel trigona, sicca, levia, friabilia, paullum tantum glutinosa, in fractura fibrata, coloris albidi vel subflavi, saporis dulcis, sine acredine; haec dispensetur, si **manna electa** vel **canellata** praescripta fuerit.

Manna communis seu **Geracina** in massis occurrit conglutinatis e glebis vel granis albidis vel subfuscis, subviscidis, saporis dulcis cum acredine quadam subnauseosa.

Rejiciatur **Manna crassa, pinguis** seu **de Puglia**, quae massam grumosam, mollem, jam subfluidam, subfuscam, heterogeneis valde inquinatam, saepe etiam fermentescentem efficit.

Mastix.

Mastix.

Mastiche. Resina Mastiche.

Pistacia Lentiscus ***Linn.*** γ. **Chia** ***DC.***

Grana subrotunda, pisi plerumque magnitudine, subflava, superficie pulverulenta, in fractura vitri instar splendentia, pellucida, facile terenda, manducata mollescentia. In spiritu frigido et fervido ex parte solubilia.

Mel.

Apis mellifica *Linn.*

Recens diaphanum, syrupi spissi consistentiae, decursu temporis in massam granulosam, opacam mutatur, coloris ex albido flavescentis, flavi vel ex subfusco flavi, saporis perdulcis, odoris proprii, in aqua et in spiritu diluto paullum turbide solubile.

Cave ne sit acidum, neve farina adulteratum.

Mel depuratum.

Gereinigter Honig.

R. **Mellis** *partem unam,* . . . . **1.**

Aquae communis *partes duas.* . . . . **2.**

Calefiant in vase stanneo et stent calore fere 100° per horam unam bullitum evitando, deinde calore ad 50 vel 40° remisso filtratae in balneo vaporis ad syrupi spissitudinem evaporent, postremo colentur.

Sit limpidum, cum aqua mixtum limpidum maneat; coloris sit e flavo fusci, nec odoris nec saporis empyreumatici vel acidi.

Loco frigido servetur.

Mel rosatum.

Rosenhonig.

R. **Florum Rosae** *partem unam.* . . . . **1.**

Affunde

Aquae fervidae *partes sex,* . . . . **6.**

sepone per noctem unam, tum exprime et filtra. Liquor filtratus cum

Mellis depurati *partibus decem* . . . . **10.**
mixtus in balneo vaporis ad syrupi spissitudinem evaporet et coletur.

Sit limpidum, fuscum.

Loco frigido servetur.

Minium.

Mennige.

Pulvis ponderosus, ex aurantiaco ruber, in acido nitrico ex parte, plumbo hyperoxydato fusco relicto, solubilis, idemque acido oxalico vel saccharo admixto fere vel totus solubilis. Solutio hoc modo effecta et cum acido sulfurico abundante commixta praebeat filtratum, quod minime cuprum, ferri vestigia tantum contineat.

Mixtura gummosa.

R. **Gummi Arabici subtilissime pulverati,** . . . . **15.**
Sacchari albi subtilissime pulverati, singulorum *partes quindecim.* . . . . **15.**

Solve in
Aquae destillatae *partibus centum et septuaginta.* **170.**

Non nisi ad dispensationem paretur.

Mixtura oleoso-balsamica.

Hoffmann'scher Lebensbalsam.

Balsamum Vitae Hoffmanni.

R. **Olei Lavandulae,** . . . . **1.**
Olei Caryophyllorum, ... **1.**
Olei Cinnamomi Cassiae, ... **1.**

Olei Thymi, ... 1.
Olei Citri, ... 1.
Olei Macidis, ... 1.
Olei Aurantii Florum, singulorum *partem unam*, 1.
Balsamini Peruviani *partes tres*, ... 3.
Spiritus *partes ducentas quadraginta*. . . . . . 240.

Mixtas per aliquot dies loco frigido sepone, subinde conquassa, tum filtra.

Sit limpida, e subfusco flava.

In vasis bene clausis servetur.

Mixtura sulfurica acida.

Haller'sches Sauer.

Loco Elixirii acidi Halleri.

R. **Acidi sulfurici** *partem unam*. . . . . 1.
Instilla inter agitationem in
Spiritus *partes tres*. . . . . 3.

Sit limpida, coloris expers, ponderis specifici 0,998 ad 1,002.

In vasis epistomiis vitreis munitis servetur.

Mixtura vulneraria acida.

Theden'sches Wundwasser.

R. **Aceti** *partes sex*, ... 6.
Spiritus diluti *partes tres*, ... 3.
Acidi sulfurici diluti *partem unam*, ... 1.
Mellis depurati *partes duas*. . . . . 2.

Mixtae filtrentur.

Sit limpida, primum flava, postremo fuscescens.

Morphinum.

Morphin.

Crystalli albae, nitidae, prismaticae, non fatiscentes, vel pulvis crystallinus, reactionis alkalinae, saporis amari, in aqua, aethere et benzolo vix solubilis, in spiritu facilius, in acidis dilutis, in liquore kali vel natri caustici nec non in aqua calcariae facile solubilis. Morphinum sensim calefactum liquescit, calore aucto carbonescit et residuo non relicto deflagrat. Acido sulfurico concentrato superfusum colorem non ducens solvitur, tum calefactum et rursus refrigeratum pauxillulo acidi nitrici addito colorem sanguineum induit.

Caute servetur.

Morphinum aceticum.

Essigsaures Morphin.

Pulvis albus aut albidus, acidum aceticum paullum redolens, saporis peramari, in aquae partibus circiter viginti quatuor, guttis nonnullis acidi acetici diluti admixtis, solubilis, difficilius in spiritu.

Ad reagentia uti morphinum se habeat.

In vasis bene clausis **caute** servetur.

Morphinum hydrochloricum.

Salzsaures Morphin.

Crystalli albae, nitoris sericei, saepe fasciculorum forma conjunctae, saporis peramari, in aquae frigidae partibus

viginti, in spiritus partibus sexaginta solubiles, solutionem neutralem exhibentes. Ad reagentia uti morphinum se habeat.

Caute servetur.

Morphinum sulfuricum.

Schwefelsaures Morphin.

Crystalli decolores, leves, aciculares, nitoris sericei, in aqua et in spiritu facile solubiles, solutionem neutralem exhibentes.

Ad reagentia uti morphinum se habeat.

Caute servetur.

Moschus.

Moschus.

Moschus moschiferus *Linn.*

Massa primum unguinosa, deinde grumosa, grana variae magnitudinis referens, fusca, pinguiter nitens, trita in stratum tenue extenuanda, secreta et inclusa in folliculo proprio, intus membrana tenui fusca vestito, ex quo exemta et a membranis et pilis purgata adhibeatur; saporis subamari, odoris peculiaris, diu persistentis, fragrantissimi. Folliculus fere semiglobosus, tres ad quatuor usque centimetros latus, hinc paullum planus, glaber, illinc convexus pilisque obsitus e luteo subfuscis, in apice coloris saturatioris, rigidis, in ambitu adpressis, circum duo foramina subcentralia in verticem erectis.

Cave a folliculis adulteratis moscho aliqua ex parte exemto corporibus heterogeneis fartis. Omnino rejiciatur Moschus Russicus vel Cabardinicus, in folliculo massam continens coloris pallidioris, odoris multo tenuioris et urinae similis.

Mucilago Cydoniae.

Quittenschleim.

R. **Seminis Cydoniae** *partem unam.* . . . . 1.
Affunde
Aquae Rosae *partes quinquaginta.* . . . . 50.
Stent per horam dimidiam saepius agitando, tum cola.

Mucilago Gummi Arabici.

Gummischleim.

R. **Gummi Arabici** *partem unam.* . . . . 1.
Primum aqua destillata abluatur, tum in
Aquae destillatae *partibus duabus* . . . . 2.
solvatur et coletur.

Mucilago Salep.

Salepschleim.

Decoctum Salep.

R. **Tuberum Salep pulveratorum** *partem unam,* . 1.
immitte in lagenam, quae continet
Aquae communis frigidae *partes decem.* . . . . 10.
Agitando bene mixtis affunde

Aquae communis ebullientis *partes nonaginta*, . **90.**
et in eadem lagena ad refrigerationem usque conquassa. Ad dispensationem recens paretur.

Myrrha.

Myrrhe.

Gummi-resina Myrrha.

Balsamodendron Ehrenbergianum *Berg*, fortasse etiam Balsamodendron Myrrha *Nees*.

Frusta irregularia, variae magnitudinis, extrinsecus pulverulenta, superficie inaequabili, interdum subglobosa, colore subflavo aut ex rubente fusco, friabilia, in fractura cerae instar nitentia, ibidem coloris pallidius aut intense ex rubro fusci, interdum venis pallidis trajecta; odoris peculiaris balsamici, saporis amari. Myrrha majore ex parte in aqua solutione turbida, e flavo fusca, minore ex parte in spiritu solutione ex rubente flava solvitur, addito acido nitrico violacea.

Rejiciantur frusta ex atro fusca, odoris ingrati, quorum solutio spirituosa acido nitrico in colorem violaceum non vertitur, et frusta in aqua plane solubilia aut turgescentia.

Natrium chloratum purum.

Natrum muriaticum purum.

Crystalli parvae, albae, cubicae aut pulvis crystallinus, saporis salini, in aquae partibus duabus et decimis octo (2,8) solubilis, in igne crepitans.

In aqua solutum sit neutrale, aqua hydrosulfurata, ammonio sulfurato, ammonio oxalico, baryta nitrica et natro carbonico ne turbetur.

Natrum aceticum.

Essigsaures Natron.

Terra foliata Tartari crystallisata.

Crystalli prismaticae, coloris et odoris expertes, pellucidae, in aëre fatiscentes, in aquae frigidae partibus tribus, in aquae fervidae partibus aequalibus, nec non in spiritu solubiles. Calefactae primum liquescunt, tum exsiccatae calore aucto denuo liquescunt, et ignitae destruuntur odorem acetoni emittentes.

Aquae partibus circiter quadraginta solutum ne aqua hydrosulfurata, neve baryo chlorato, neve argento nitrico turbetur.

Natrum bicarbonicum.

Doppelkohlensaures Natron.

Crustae aut frusta concreta crystallina, albissima, in aëre persistentia, odoris expertia, saporis mitis salsi, vix alkalini, in aquae frigidae partibus quatuordecim, haud in spiritu solubilia.

In aquae partibus centum solutum aqua hydrosulfurata ne mutetur, acido nitrico praevalente saturatum baryo chlorato et argento nitrico paullum modo turbetur. Grammata sex liquoris, quae decigrammata tria

hydrargyri bichlorati in aqua soluta continent, cum grammatis duobus natri bicarbonici in aquae destillatae frigidae grammatis triginta solutis commixta et per horae partem vicesimam seposita paullum modo turbata sint.

Natrum carbonicum crudum.

Rohes krystallisirtes kohlensaures Natron.

Soda. Natrum carbonicum crystallisatum crudum. Sal Sodae crudus.

Sint crystalli magnae, coloris expertes aut frusta crystallina, natri carbonici anhydri triginta tres ad triginta quinque partes in centum partibus continentia.

Aqua solutum et addita acidi nitrici copia praevalente acidum baryo chlorato et argento nitrico quam minime turbetur. Solutio tam alkalina quam acido hydrochlorico praevalente acida facta aqua hydrosulfurata addita ne mutetur.

Natrum carbonicum purum.

Reines krystallisirtes kohlensaures Natron.

Natrum carbonicum depuratum. Sal Sodae depuratus.

Crystalli coloris expertes, diaphanae, in aëre fatiscentes, saporis alkalini, in aquae frigidae partibus duabus, in aquae ebullientis parte quarta solubiles, liquorem alkalinum exhibentes.

Solutio tam alkalina quam acido hydrochlorico praevalente acida facta aqua hydrosulfurata ne mutetur. Solutio

acidi nitrici copia praevalente acida facta ne argento nitrico neve baryta nitrica turbetur.

In vasis clausis servetur.

Natrum carbonicum siccum.

Getrocknete Soda.

Natrum carbonicum purum in pulverem crassum redactum loco tepido ad fatiscendum sepone, donec circiter dimidiam partem ponderis sui amiserit. Pulverem siccum, album, per cribrum trajectum in vase bene clauso serva.

Si pulvis natri carbonici postulatur natrum carbonicum siccum dispensetur.

Natrum nitricum.

Gereinigter Chilisalpeter.

Nitrum cubicum.

Crystalli coloris expertes, diaphanae, rhomboideae, aquam non continentes, in aëre sicco non mutabiles, saporis salsi refrigerantis subamari, in aquae frigidae partibus duabus et in minore quam parte una aquae fervidae solubiles.

Solutio aquosa ne aqua hydrosulfurata neve natro carbonico turbetur, baryta nitrica et argento nitrico quam minime turbetur, cum carboneo sulfurato, aqua chlorata admixta, conquassata hoc nec e fusco flavum nec e violaceo rubrum tingat. Carboneum sulfuratum

cum solutione aquosa, cui acidum sulfuricum dilutum et zinci pulverati aliquantulum addita sunt, conquassatum colorem e violaceo rubrum ne induat.

Natrum phosphoricum.

Phosphorsaures Natron.

Crystalli coloris expertes, diaphanae, in aëre sicco fatiscentes, clinorrhomboideae, saporis leviter salsi, in aquae frigidae partibus sex, in aquae fervidae partibus duabus solubiles, reactionis alkalinae; acido quovis superfusae ne effervescant.

Aqua solutum et addita acidi nitrici copia paullum praevalente acidum baryo chlorato et argento nitrico quam minime turbetur. Solutio tam alkalina quam acido hydrochlorico praevalente addito acida aqua hydrosulfurata ne mutetur.

In vasis bene clausis servetur.

Natrum pyrophosphoricum.

Pyrophosphorsaures Natron.

Crystalli coloris expertes, clinorrhombicae, columellares, in aëre persistentes, leni calore aquam amittentes, calore aucto liquescentes, tum calore deminuto ad massam diaphanam crystallinam rigescentes, in aquae frigidae partibus decem solubiles, liquorem reactionis alkalinae exhibentes, qui addito argento nitrico et praecipitatum album et filtratum neutrale praebet.

Aqua solutum et acido nitrico addito acidum baryo chlorato et argento nitrico quam minime turbetur, aqua hydrosulfurata neque alkalinum neque acidum factum mutetur.

Natrum pyrophosphoricum ferratum.

Pyrophosphorsaures Eisenoxyd-Natron.

R. **Natri pyrophosphorici** *partes ducentas*. . . . . 200.
In pulverem contritas superfunde calorem evitando
Aquae destillatae frigidae *partibus quadringentis*, 400.
tum paullatim adde inter continuam agitationem
Liquoris Ferri sesquichlorati *partes octoginta unam*, ... 81.
antea dilutas
Aquae destillatae *partibus ducentis et viginti*, 220.
ita tamen, ut portio hujus liquoris altera non prius addatur, quam praecipitatum primo exortum resolutum fuerit.

Liquori subviridi, hoc modo obtento, filtrato affundantur
Spiritus *partes mille*. . . . . 1000.
Praecipitatum inde effectum, spiritus parva copia ablutum inter chartam bibulam exprimatur et calore leniore siccetur.

Sit pulvis albidus amorphus, in aqua frigida lente solubilis, liquorem subviridem exhibens, in quo spiritu addito praecipitatum efficitur. Solutum ad ebullitionem usque calefactum destruitur et sedimentum album demittit.

In vasis bene clausis servetur.

Natrum santonicum.

Crystalli coloris expertes, diaphanae, tabuliformes aut lamellares, saporis amari salsi, reactionis alkalinae, in aquae frigidae partibus tribus, in spiritus partibus duodecim solubiles, in aqua et spiritu fervidis multo solubiliores. Aqua solutae admixtis acidis santoninum demittunt. Kali caustico spiritu soluto superfusae colorem rubrum induunt. Luce vix mutantur.

Natrum subsulfurosum.

Unterschwefligsaures Natron.

Natrum hyposulfurosum.

Crystalli columellares, coloris et odoris expertes, saporis salsi, postea amaricantis, pellucidae, in aëre persistentes, in aqua facile solubiles, liquorem subalkalinum exhibentes.

Aqua solutum acido hydrochlorico admixto post aliquod tempus turbetur et odorem acidi sulfurosi exhalet. Aquae minore quantitate solutum baryo chlorato addito praecipitatum album, aquae copia majore plane solubile, demittat. Pars una natri subsulfurosi in aquae dupla copia soluta partem unam iodi minimum solvat, quae solutio sit coloris expers et chartam exploratoriam non mutet.

In vasis clausis servetur.

Natrum sulfuricum.

Glaubersalz.

Natrum sulphuricum depuratum.
Sal mirabile Glauberi depuratum.

Crystalli coloris expertes pellucidae, in aëre facile fatiscentes, calore deliquescentes, in aquae frigidae partibus tribus solubiles, calore 33° C. in triente aquae partis unius, calore ad 100° C. aucto in aquae duabus quintis partibus solubiles, liquorem chartam exploratoriam minime mutantem praebentes.

Aqua solutum, aqua hydrosulfurata et liquore ammonii sulfurati ne mutetur, argento nitrico quam minime turbetur.

Natrum sulfuricum siccum.

Paretur e **Natro sulfurico** uti **Natrum carbonicum siccum.**

In vase bene clauso servetur.

Si pulvis natri sulfurici postulatur, natrum sulfuricum siccum dispensetur.

Olea aetherea.

Aetherische Oele.

Olea aetherea plerumque destillatione, rarius expressione parantur.

Sint limpida et odorem spargant gravissimum earum substantiarum, ex quibus parata esse debent; calore

plane avolent. Cum copia quantacunque oleorum pinguium vel spiritus absoluti misceri possint et solutiones limpidas praebeant. In aqua plerumque sint tam difficulter solubilia, ut volumen quoddam cum volumine aquae multiplici bene conquassatum vix paullum deminuatur. Olea aetherea plurima aqua leviora sunt.

In vasis bene clausis a luce remotis loco frigido serventur.

Oleum Amygdalarum.

Mandelöl.

E **seminibus Amygdali dulcibus** vel **amaris**, grosso modo pulveratis, sacco inclusis, ope preli inter laminas non tepefactas exprimatur. Placenta pulverata operatio repetatur. Oleum per aliquod tempus sepositum filtretur.

Sit limpidum, coloris flavi, odoris mitis proprii nec rancidum, nec frigore spissescens.

In vase bene clauso servetur.

Oleum animale aethereum.

Aetherisches Thieröl.

Oleum animale Dippelii.

Oleum animale foetidum e retorta in balneo arenae collocata leni calore destillet, quamdiu oleum tenue transit, quod cum **copia aquae quadruplici** mixtum iterum destillet, quamdiu coloris expers aut paullum subflavum colligitur. Tum oleum ab aqua separetur.

Sit limpidum, coloris expers aut paullum subflavi, odoris gravissimi. Rejiciatur, quod fuscum factum est. In lagunculis plane repletis optimeque clausis, aquae submersis, servetur.

Oleum Anisi.

Anisöl.

Sit tenue, coloris expers aut subflavi, calore 6 ad 18° in massam crystallinam concrescens, in spiritus partibus quatuor vel quinque solubile.

Oleum Aurantii Corticis.

Pomeranzenschalenöl.

Sit tenue, subflavum, cum spiritus partibus quinque solutionem turbidam praebens.

Oleum Aurantii Florum.

Pomeranzenblüthenöl.

Oleum Florum Naphae. Oleum Neroli.

Sit tenue, flavidum vel e rubente flavum in pari pondere spiritus solubile.

Oleum Bergamottae.

Bergamottöl.

Citrus Bergamia *Risso.*

Sit tenue, pallide flavum, aut e viridi flavum, in spiritus copia quantacunque solubile.

Oleum Cacao.

Kakaobutter.

Butyrum Cacao.

Theobroma Cacao *Linn.*

Sit e subflavo album, odoris exigui proprii, saporis mitis, sebo ovillo rigidius, calore 30° liquescens.

Oleum Cajeputi.

Cajaputöl.

Melaleuca Leucadendron *Linn.* et Melaleuca minor *Smith.*

Sit viride aut e flavido viride, in spiritus copia quantacunque solubile.

Oleum cuprum continens rejiciatur.

Oleum Cajeputi rectificatum.

Gereinigtes Cajaputöl.

R. **Olei Cajeputi** *partem unam*, ... 1.
Aquae communis *partes sex*. . . . . 6.

Destillent, quamdiu oleum coloris expers aut subflavum elicitur.

Oleum Calami.

Kalmusöl.

Sit spissiusculum, flavum vel e subfusco flavum, in spiritus copia quantacunque solubile.

Oleum camphoratum.

Kampferöl.

R. **Camphorae** *partem unam*. . . . . 1.
Solve in
Olei Olivarum optimi *partibus novem*. . . . . . . 9.
In vasis bene clausis servetur.

Oleum Carvi.

Kümmelöl.

Sit tenue, coloris expers vel pallide subflavi, in spiritus copia quantacunque solubile.

Oleum Caryophyllorum.

Nelkenöl.

Sit spissiusculum, subflavum vel e flavo fuscum, aqua gravius, in spiritus copia quantacunque solubile.

Oleum Chamomillae aethereum.

Aetherisches Kamillenöl.

Sit coloris saturate caerulei, spissum, calore deminuto fere butyri spissitudinis, in spiritus partibus octo ad decem solubile.

Oleum Chamomillae infusum.

Fettes Kamillenöl.

Loco Olei Chamomillae cocti.

R. **Florum Chamomillae vulgaris** *partes duas,* . . 2.

Spiritus *partem unam.* . . . . 1.

Bene mixtas in vase clauso per aliquot horas sepone, tum admixtis

Olei Olivarum optimi *partibus viginti* . . . . . . 20.

digere in balneo vaporis, interdum agitando, donec spiritus omnis fugatus fuerit, exprime et colaturam per aliquot dies sepositam filtra.

Sit e flavo viride, limpidum.

Oleum Cinnamomi Cassiae.

Zimmtöl.

Zimmtkassienöl. Oleum Cinnamomi. Oleum Cassiae.

Sit spissiusculum, subflavum vel e flavo fuscum, aqua gravius, in spiritus copia quantacunque solubile.

Oleum Cinnamomi Zeylanici.

Zeylonisches Zimmtöl.

Sit spissiusculum, flavidum vel e fusco rubens, aqua gravius, in spiritus copia quantacunque solubile

Oleum Citri.

Citronenöl.

Oleum de Cedro.

Sit tenue, recens paullum turbidum, post aliquod tempus limpidum, flavidum, in spiritus partibus decem ad viginti solubile.

Oleum Cocois.

Kokosöl.

Cocos nucifera *Linn.*

Pingue album, frigore solidum, subgranulosum, calore 15° molle, calore 23° liquescens; odoris proprii.

Oleum Crotonis.

Krotonöl.

Tiglium officinale *Klotzsch.*

Oleum pingue spissiusculum, flavum vel e fusco flavescens, primum mite, postea linguam acerrime urens et pustulas excitans, odore ingrato. In triginta sex partibus spiritus et in aethere facile solubile.

Caute servetur.

Oleum Foeniculi.

Fenchelöl.

Sit tenue, coloris expers vel flavescens, calore inter 4 et 18° in massam crystallinam concrescens, in spiritus parte una vel duabus solubile.

Oleum Hyoscyami infusum.

Fettes Bilsenkrautöl.

Loco Olei Hyoscyami cocti.

Paretur e **Foliis Hyoscyami** uti **Oleum Chamomillae infusum.**

Sit e subfusco viride.

Oleum Jecoris Aselli.

Leberthran.

Gadus Morrhua *Linn.*, Gadus Callarias *Linn.*, Gadus Carbonarius *Linn.* et aliae generis Gadi species.

Sit flavescens vel e rubente fuscum, piscem redolens, odoris non rancidi, limpidum.

Oleum Juniperi.

Wachholderbeeröl.

Oleum Fructuum Juniperi.

Sit tenue, coloris expers vel subflavescentis, in spiritus partibus duodecim turbide solubile.

Oleum Juniperi empyreumaticum.

Kadeöl.

Oleum cadinum.

Juniperus Oxycedrus *Linn.*

Oleum empyreumaticum, pici liquidae simile, sed lentius fluens, intense fuscum.

Oleum Lauri.

Lorbeeröl.

Oleum laurinum. Oleum Lauri unguinosum s. expressum.

Oleum unguinosum, granulosum, viride vel e flavo viride, odoris laurini aromatici, in aetheris sesquiparte solubile.

Color viridis ammonio caustico ne mutetur.

Oleum Lavandulae.

Lavendelöl.

Sit tenue, subflavum aut e subviridi subflavum, in spiritus partibus aequalibus solubile.

Oleum Lini.

Leinöl.

Oleum pingue limpidum, flavum, exsiccans, saporis mitis, odoris proprii, frigore 16° rigescens, in sesquiparte aetheris, in quinque partibus spiritus absoluti solubile.

Oleum Lini sulfuratum.

Geschwefeltes Leinöl.

Balsamum Sulphuris.

R. **Olei Lini** *partes sex* . . . . **6.**

In vase ferreo satis amplo calefactis adde

Sulfuris sublimati *partem unam* . . . . **1.**

et coque, spathula semper movendo et effervescentiam evitando, donec in massam homogeneam coïerint.

Sit tenacitatis terebinthinae, coloris ex rubro fusci, in oleo terebinthinae plane solubile.

Oleum Macidis.

Macisöl.

Muskatblüthenöl.

Sit tenue, coloris expers vel flavescentis, in spiritus partibus sex solubile.

Oleum Majoranae.

Meiranöl.

Sit tenue, flavescens, in spiritus copia quantacunque solubile.

Oleum Menthae crispae.

Krauseminzöl.

Sit tenue, tempore spissescens, pallide flavum vel subviride, in spiritus copia quantacunque solubile.

Oleum Menthae piperitae.

Pfefferminzöl.

Sit tenue, tempore paullum spissescens, coloris expers vel subflavidum vel virescens, in spiritus partibus aequalibus solubile.

Oleum Myristicae.

Muskatnussöl.

Muskatbutter. Oleum Nucistae expressum. Butyrum Nucistae.

Oleum sebi spissitudinis, in mercatura saepe in frustis quadrangulis usitatum, colore aurantiaco, e flavescente albido aut rubicundo variegato, odore peculiari myristicae; in quatuor partibus aetheris ferventis plane solubile, calore 45 ad 48° liquescens.

Oleum Olivarum.

Olivenöl.

Olea Europaea ***Linn.***

In usu sunt duae species:

1) **Oleum Olivarum optimum** seu **Provinciale**, coloris pallide flavi, odoris exigui proprii, saporis mitis;

2) **Oleum Olivarum commune** seu **viride**, coloris flavi vel ex viridi flavi, odoris plus minusve ingrati. Utrumque calore graduum nonnullorum supra 0° ad massam granulosam unguinosam rigescit.

Oleum Papaveris.

Mohnöl.

Oleum pingue subflavum, in aëre siccescens, odoris fere nullius, saporis mitis.

Oleum Petrae Italicum.

Steinöl.

Petroleum crudum.

Liquor subflavus aut subruber, limpidus, iridescens; odoris proprii bituminosi; in oleis pinguibus et aethereis, in aethere et spiritu absoluto solubilis, difficile in spiritu. Pondus specificum sit 0,75 ad 0,85.

Oleum phosphoratum.

Phosphorhaltiges Oel.

R. **Phosphori bene desiccati** *partem unam,* . . . . 1.
Olei Amygdalarum *partes octoginta.* . . . . . . 80.

Immitte cucurbitae vitreae, quam in aquam calidam immerge, ut phosphorus liquetur. Tum vas agitetur et solutione peracta per horam dimidiam seponatur loco frigido. Oleum refrigeratum a phosphoro forsan secreto caute decanthetur.

Sit limpidum, fumans, phosphorum redolens.

Non nisi ad dispensationem paretur.

Oleum Ricini.

Ricinusöl.

Oleum Castoris vel Palmae Christi.

Ricinus communis *Linn.*

Oleum pingue paullum spissum, frigore rigescens, coloris expers aut subflavum, saporis mitis, in spiritus copia quantacunque solubile.

Oleum rancidum, acre et fauces radens est rejiciendum.

Oleum Rosae.

Rosenöl.

Rosa moschata *Miller*. Rosa Damascena *Miller* et aliae species.

Oleum aethereum pallide subflavum, spissiusculum, crystallinum, calore 15 ad 25° liquescens, in spiritus nonaginta partibus calore 17° solubile.

Oleum Rosmarini.

Rosmarinöl.

Oleum Anthos.

Sit tenue, coloris expers, in spiritus partibus aequalibus solubile.

Oleum Sabinae.

Sadebaumöl.

Sit tenue, flavescens, in spiritus partibus aequalibus solubile.

Caute servetur.

Oleum Sinapis.

Aetherisches Senföl.

Sit tenue, flavescens vel flavum, odoris fortis excitantissimi, aqua gravius, in aquae quinquaginta partibus, in spiritus copia quantacunque solubile.

Cum acidi sulfurici triplici volumine inter refrigerationem conquassatum post horas duodecim in massam spissam vel crystallinam, nunquam fuscam transeat.

In vasis bene clausis **caute** servetur.

Oleum Succini rectificatum.

Gereinigtes Bernsteinöl.

Sit tenue, coloris expers vel subflavi, in spiritus partibus decem ad duodecim solubile.

Oleum Terebinthinae.

Terpenthinöl.

Spiritus Terebinthinae.

Sit tenue, coloris expers vel paullum flavescens. Oleum odoris empyreumatici rejiciatur.

Oleum Terebinthinae rectificatum.

Gereinigtes Terpentinöl.

Paretur ex **Oleo Terebinthinae** uti **Oleum Cajeputi rectificatum.**

Sit tenue, coloris expers, in spiritus partibus circiter duodecim solubile.

Oleum Terebinthinae sulfuratum.

Schwefelbalsam.

Balsamum Sulphuris terebinthinatum.

R. **Olei Lini sulfurati** *partem unam,* . . . . 1.
Olei Terebinthinae *partes tres.* . . . . 3.

Solve digerendo. Postquam subsederunt, decantha.
Sit limpidum, coloris e rubro fusci.

Oleum Thymi.

Thymianöl.

Sit tenue, coloris expers, flavescens vel subviride, in spiritus partibus aequalibus solubile.

Oleum Valerianae.

Baldrianöl.

Sit spissiusculum, e subfusco vel e subviridi flavum, in spiritus copia quantacunque solubile.

Olibanum.

Weihrauch.

Gummi-resina Olibanum. Thus.

Boswellia papyrifera ***Hochstetter.***

Grana subglobosa, lacrimae forma, variae magnitudinis, extrinsecus pulvere inspersa, coloris albidi vel e subfusco flavi aut subrufi, facile fragilia, fractura ceracea; manducata mollescentia aut liquescentia, sed majus vel minus residuum relinquentia, in ore frigoris sensum

excitantia. Calefacta non plane liquescentia et odorem balsamicum spargentia. In spiritu ex maxima parte solubilia, cum aqua trita liquorem lacteum praebentia.

Opium.

Opium.

Mohnsaft. Laudanum. Meconium.

Papaver somniferum *Linn.*

Placentae plerumque paullum compressae vel subglobosae, ad tres quadrantes kilogrammatis pondere, Papaveris foliis involutis et Rumicis cujusdam fructibus conspersae. Recentes sunt molliores, intus pallide fuscae, e granulis vel lacrimis parvis consistentes, in discissione placentarum conspicuis, exsiccatae coloris intensioris, in fractura nitentes, e rubro fuscae, in spiritu et in aqua ex parte solubiles, odoris nauseosi sopientis, saporis amari.

Opium exsiccatum et pulveratum morphini minimum *partes decem* in *centum partibus* contineat.

Caute servetur.

Oxymel Colchici.

Herbstzeitlosen - Sauerhonig.

R. **Aceti Colchici** *partem unam,* . . . . 1.
Mellis depurati *partes duas.* . . . . 2.

Mixtae in balneo vaporis evaporent, donec *partes duae* 2. remanserint, quae colentur.

Sit limpidum, e fusco flavum.

Loco frigido servetur.

Oxymel Scillae.

Meerzwiebel - Sauerhonig.

Paretur ex **Aceto Scillae** uti **Oxymel Colchici.**

Sit limpidum e flavo fuscum.

Loco frigido servetur.

Oxymel simplex.

Sauerhonig.

R. **Acidi acetici diluti** *partem unam*, ... 1.
Mellis depurati *partes quadraginta*. . . . . 40.

Misce.

Sit limpidum, ex flavo fuscum.

Pasta Guarana.

Guarana.

Paullinia sorbilis *Martius*.

Massae saepius formae baculorum, rarius placentarum vel globorum, ex seminibus e capsulis depromptis, in sole siccatis, tum pulveratis, cum aqua in pastam redactis et in sole vel fumo rursus siccatis constantes, durae, coloris e fusco nigri, odoris proprii, saporis adstringentis subamari, cacao similis, fractura plerumque plana et nitoris mitioris, intus non raro semina singula includentes, in aqua ex parte solubiles.

Pasta gummosa.

Gummipasta.

Pasta Althaeae.

R. **Gummi Arabici,** . . . . 200.

Sacchari optimi, singulorum *partes ducentas.* 200.

Solve in

Aquae destillatae frigidae *partibus sexcentis.* . 600.

Liquor subsidendo colandoque depuratus in lebete cupreo in balneo vaporis collocato spathula lignea agitando ad mellis spissitudinem evaporet, tum addantur

Albuminis ovorum recentium *partes centum et quinquaginta* . . . . 150.

in spumam densam redactae. Inter continuam agitationem leni calore evaporent, donec aliquantulum exemtum a spathula mota difficulter defluat. Postremo admixta

Elaeosacchari Aurantii Florum *parte una* . . . 1.

massa in capsulas chartaceas effundatur et loco calido exsiccetur, tum e capsulis exemta et in taleolas scissa loco sicco servetur.

Sit albissima.

Pasta Liquiritiae.

Süssholzpasta.

Pasta Glycyrrhizae.

R. **Radicis Liquiritiae** concisae *partem unam.* . . . . 1.

Superfusam

Aquae destillatae *partibus viginti* . . . . 20.

macera per horas duodecim, tum cola et filtra. In liquore filtrato et

Aquae destillatae *partibus decem* . . . . 10.

diluto solvantur

Gummi Arabici aqua loti *partes quindecim,* . . 15.

Sacchari optimi *partes novem.* . . . . 9.

Solutione peracta liquor per manicam laneam fundatur et in balneo vaporis per horam unam calefiat, tum pellicula orta remota in balneo vaporis porro sine agitatione evaporet, donec gutta laminae metallicae frigidae instillata gelatinae spissae instar indurescat. Tum massa detracta pellicula in cistulas chartaceas, aliis cistulis e ferro stanno obducto confectis impositas, effundatur, leni calore sufficienter exsiccetur, dein a cistulis chartaceis vaporum aquae ope separata et in taleolas scissa satis exsiccetur.

Sit coloris e fusco flavi, diaphana, ab empyreumate libera.

In vasis bene clausis loco sicco servetur.

Phosphorus.

Phosphor.

Substantia alba vel subflava diaphana, plerumque in bacillos formata, cerae instar splendens, aëri exposita fumum odoris alliacei spargens, loco obscuro lucens, facile inflammabilis, calore 44° sub aqua ad liquorem limpidum oleosum liquescens, non in aqua, paullum in spiritu et aethere, paullo magis in oleis pinguibus et

aethereis, quam maxime in carboneo sulfurato solubilis, vestigia sulfuris et arsenii saepius continens.

Sub aqua in vase vitreo, quod ipsum in pyxide e lamina ferrea facta inclusum sit, **cautissime** servetur.

Pilulae aloëticae ferratae.

Italienische Pillen.

Pilulae Italicae nigrae.

R. **Ferri sulfurici sicci,**

Aloës pulveratae, singulorum *partes aequales.*

Mixtas contunde cum tanta spiritus copia, ut massa pilularis fiat, ex qua pilulae ponderis *centigrammatum decem* formentur.

Sint nitidae, coloris nigri.

Pilulae Ferri carbonici.

Vallet'sche Pillen.

Pilulae ferratae Valleti.

R. **Ferri sulfurici puri** *partes viginti quatuor,* . . . **24.**
solve in **aquae destillatae** coctae *partibus septuaginta quinque,* quibus *pars vicesima* ipsarum ponderis **syrupi simplicis** addita est. Item solve

Natri carbonici puri *partes viginti quinque* . . . **25.**
in **aquae destillatae saccharatae** *partibus septuaginta* et filtra.

Liquores misceantur in vase bene obturando, quod totum iis repleatur. A praecipitato deposito liquo-

rem supernatantem defundendo separa, tum vas denuo reple aqua saccharata. Vas sedulo agitatum sepone per horas duodecim, defunde liquorem supernatantem et repete edulcorationem et omnes illas operationes, donec in liquore defuso vestigia natri nec sulfurici nec carbonici reperiantur. Tum fortiter exprime praecipitatum in linteo syrupo simplici imbuto inclusum et sine mora misce cum

Mellis *partibus quatuordecim*, ... **14.**
antea in balneo vaporis calefactis.

Mixtura haec in eodem balneo ad *partes viginti unam* . . . . **21.**
remanentes evaporet, ut fiat massa pilularis, quae dimidium ferri oxydulati carbonici contineat.

E *decigrammatis viginti quinque* illius massae, addita radicis althaeae pulveratae quantitate sufficiente, pilulae *viginti quinque* formantur, quae cortice cinnamomi cassiae pulverato consperguntur. Singulae pilulae ferri carbonici centigrammata quinque (0,05) continebunt.

Pilulae Jalapae.

Jalapenpillen.

R. **Saponis jalapini** *partes tres*, ... **3.**
Tuberum Jalapae pulveratorum *partem unam*. . **1.**
Misce, ut fiat massa pilularis, ex qua formentur pilulae ponderis *centigrammatum decem* lycopodio conspergendae.

Pilulae odontalgicae.

Zahnpillen.

R. **Opii pulverati,**

Radicis Belladonnae pulveratae,

Radicis Pyrethri pulveratae, singulorum *grammata quinque,*

Cerae flavae *grammata septem,*

Olei Amygdalarum *grammata duo,*

Olei Cajeputi,

Olei Caryophyllorum, singulorum *guttas quindecim.*

Misce in mortario tepefacto, ut fiat massa pilularis, ex qua pilulae ponderis *quinque centigrammatum* (0,05) caryophyllis pulveratis conspergendae formentur.

Sint consistentiae mollis.

In vitro bene clauso serventur.

Pix liquida.

Theer.

Resina empyreumatica liquida.

Liquor spissus, oleosus, e nigro fuscus, subdiaphanus, aqua gravior; odoris ingrati empyreumatici, saporis amari, os urentis.

Aqua calida cum pice liquida conquassata sit reactionis acidae.

Destillatione sicca e ligno Abietinarum vel Fagi effecta sit.

Pix navalis.

Schiffspech.

Pix nigra. Pix solida. Resina empyreumatica solida.

Massa resinosa, nigra, opaca, frigore fragilis, calore inter digitos ductilis; odoris picis liquidae, ex qua evaporatione obtinetur.

Placentae Seminis Lini.

Leinkuchen.

Placentae post olei lini expressionem remanentes.

Plumbum aceticum.

Essigsaures Bleioxyd.

Bleizucker. Saccharum Saturni depuratum.

Crystalli coloris expertes, diaphanae, in aquae frigidae partibus duabus, in aquae fervidae parte dimidia, in spiritus partibus octo solubiles.

Solutio aquosa ammonio caustico addito praecipitatum album praebeat; liquor a praecipitato separatus ne sit coloris caerulei.

In vasis bene clausis **caute** servetur.

Plumbum iodatum.

Jodblei.

Pulvis e flavo aurantiacus, in aquae frigidae partibus mille et trecentis, in aquae fervidae ducentis sine

residuo et coloris expers solubilis. Calore liquescit et vapores violaceos emittens decomponitur.

Caute servetur.

Plumbum tannicum pultiforme.

Cataplasma ad decubitum.

R. **Corticis Quercus concisi** *partes octo* . . . . 8.

Coque cum

Aquae communis *sufficiente quantitate*

per dimidiam horam, ut sit colatura *partium quadraginta* . . . . 40.

Decocto filtrato inter agitationem admisce

Liquoris Plumbi subacetici *circiter partes quatuor*, 4.

donec praecipitatum nascitur. Hoc ope filtri separatum, ponderis circiter *partium duodecim*, humidum adhuc forma linimenti spissioris in ollam immitte et admisce

Spiritus *partem unam* . . . . 1.

Nonnisi ad dispensationem paretur.

Potio Riveri.

R. **Acidi citrici** *partes quatuor*, ... 4.

Aquae destillatae *partes centum et nonaginta* . . 190.

In lagenam, quae fere impleatur, immittantur.

Solutione inter agitationem perfecta paullatim adde

Natri carbonici puri *partes novem* . . . . 9.

Postquam denuo inter agitationem solutio effecta est, vas statim claudatur.

Non nisi ad dispensationem paretur.

Pulpa Tamarindorum cruda.

Rohes Tamarindenmus.

Tamarindi. Fructus Tamarindorum.

Tamarindus Indica *Linn.*

Legumina Tamarindi orientalis, exocarpio crustaceo remoto, contusa pulpam praebent carnosam, tenacem, e fusco nigram, loculamentis chartaceis fasciculisque vasorum et seminibus badiis, duris intermixtam; odoris vinosi, saporis grate acidi, subadstringentis.

Rejiciantur placentae lentiformes, durae, circiter quindecim centimetros latae, nigrae Tamarindi Aegyptiacae vel eae, quae aqua, acido tartarico saepe intermixto, emollitae sunt ad massam mollem, nigram, peracidam, saepe mucidam; nec non pulpa mollis, e flavo fusca, saepissime jam fermentans Tamarindi occidentalis. In pulpam aqua emollitam ferrum politum per aliquod tempus impositum cuprum inquinans ne indicet.

Pulpa Tamarindorum depurata.

Gereinigtes Tamarindenmus.

Pulpam Tamarindorum crudam addita aequali parte **aquae communis fervidae** sepone saepius agitando, donec aequabiliter emollita fuerit.

Tum per cribrum setaceum spathulae ligneae ope trajice et pulpam obtentam in vasis porcellaneis evaporatione in balneo vaporis ad extracti spissioris densitatem redige.

Deinde pulpae adhuc calentis *partibus senis* . . . . **6.**
admisce **Sacchari optimi pulverati** *partem unam.* . . **1.**

Sit e nigro fusca, saporis acidi grati. Loco sicco et frigido servetur. Cave ne cupro inquinata sit, quod ferrea lamina polita dignoscitur.

Pulvis aërophorus.

Brausepulver.

R. **Natri bicarbonici** *partes decem,* . . . . **10.**
Acidi tartarici *partes novem,* . . . . **9.**
Sacchari optimi *partes undeviginti.* . . . . **19.**

Seorsum in pulverem subtilissimum redactae et exsiccatae misceantur.

In vasis bene clausis servetur, aut ad dispensationem paretur.

Sit siccissimus, aquae immissus fortiter effervescens.

Pulvis aërophorus Anglicus.

Englisches Brausepulver.

Soda-powder.

R. **Natri bicarbonici pulverati** *grammata duo.*
Detur in chartam caeruleam vel rubram.

R. **Acidi tartarici pulverati** *gramma unum et dimidium.*
Detur in chartam albam.

Pulvis aërophorus laxans.

Abführendes Brausepulver.

Seidlitzpulver. Pulvis aërophorus Seidlitzensis.

R. **Tartari natronati pulverati** *grammata septem et dimidium,* . . . . 7½.

Natri bicarbonici pulverati *grammata duo et dimidium.* . . . . 2½.

Misceantur.

Simul seorsum dispensentur

Acidi tartarici pulverati *grammata duo.* . . . . 2.

Nota. Praeceptum hoc *dosin unam* indicat.

Pulvis aromaticus.

Aromatisches Pulver.

R. **Corticis Cinnamomi Cassiae pulverati** *partes quinque,* . . . . 5.

Fructuum Cardamomi minorum pulveratorum *partes tres,* . . . . 3.

Rhizomatis Zingiberis pulverati *partes duas.* . . 2.

Misce exacte.

Pulvis arsenicalis Cosmi.

Cosmisches Pulver.

R. **Hydrargyri sulfurati rubri** *partes centum et viginti,* 120.

Carbonis animalis *partes octo,* . . . . 8.

Resinae Draconis *partes duodecim,* . . . . . . 12.

Acidi arsenicosi *partes quadraginta.* . . . . 40.

Exacte misceantur, ut fiat pulvis.

Cautissime servetur.

Pulvis gummosus.

R. **Gummi Arabici pulverati** *partes tres,* . . . . . . 3.
Radicis Liquiritiae pulveratae *partes duas,* . . . 2.
Sacchari optimi pulverati *partem unam.* . . . . . . 1.
Misceantur.

Pulvis Ipecacuanhae opiatus.

Dower'sches Pulver.

Pulvis Doweri.

R. **Kali sulfurici pulverati** *partes octo,* . . . . 8.
Opii pulverati, ... 1.
Radicis Ipecacuanhae pulveratae, singulorum
partem unam. . . . . 1.
Exacte misceantur.
In vasis bene clausis **caute** servetur.
Nota. Partes decem continent **opii** *partem unam.*

Pulvis ad Limonadam.

Limonadenpulver.

Pulvis refrigerans Ph. Badensis.

R. **Sacchari optimi pulverati** *grammata centum et viginti,*
Acidi citrici pulverati *grammata decem,*
Olei Citri *guttam unam.*
Exacte misceantur.
Non nisi ad dispensationem paretur.

Pulvis Liquiritiae compositus.

Brustpulver.

Pulvis Glycyrrhizae compositus. Pulvis pectoralis Kurellae.

R. **Foliorum Sennae,** . . . . 2.
Radicis Liquiritiae, singulorum **pulveratorum** *partes duas,* . . . . 2.
Fructuum Foeniculi pulveratorum, ... 1.
Sulfuris depurati, singulorum *partem unam,* . . 1.
Sacchari optimi pulverati *partes sex.* . . . . . . 6.
Misceantur.

Pulvis Magnesiae cum Rheo.

Kinderpulver.

Pulvis infantum. Pulvis antacidus.

R. **Magnesiae carbonicae** *partes sexaginta,* . . . . . 60.
Elaeosacchari Foeniculi *partes quadraginta,* . . 40.
Radicis Rhei pulveratae *partes quindecim.* . . . 15.
Misceantur.

In vase bene clauso servetur.

Pulvis temperans.

Niederschlagendes Pulver.

Pulvis refrigerans Ph. Germaniae.

R. **Kali nitrici pulverati** *partem unam,* . . . . 1.
Tartari depurati pulverati *partes tres,* . . . . . 3.
Sacchari optimi pulverati *partes sex.* . . . . . . 6.
Misce.

Radix Alkannae.

Alkannawurzel.

Alkanna tinctoria *Tausch.*

Radix subcylindrica, subsimplex, multiceps, ad sesqui centimetrum crassa; cortice molli, levi, facile lamellatim secedente, coloris ex atro purpurei, salivam colore rubro, spiritum, olea pinguia et nonnulla aetherea, cerata, sed non aquam colore purpureo tingente; ligno duro, albido, saepe radiatim lacero.

Praeferenda merx e cortice solo constans, rejicienda radix cortice destituta.

Radix Althaeae.

Altheewurzel.

Eibischwurzel.

Althaea officinalis *Linn.*

Radices longae, crassitudine digiti, cortice exteriore deglubto albae; libro crassiore, valde fibroso et flexili; ligno carnoso, in sicco fragili, farinoso; saporis subdulcis, valde mucilaginosi.

Radix plantae spontaneae vel cultae primo vere vel auctumno fodiatur, rejectis rhizomate partibusque lignosis et cariosis et cortice exteriore, cito siccetur.

Radix Angelicae.

Engelwurzel.

Radix Archangelicae.

Archangelica officinalis *Hoffmann.*

Radices longae, quatuor vel sex millimetros crassae, molles, sulcatae, e caudice crassiore, ad octo centimetros longo, subspongioso, sursum tenuiter denseque annulato excedentes; cortice crassiore extrinsecus e griseo fusco, intus albo, receptaculis balsamiferis numerosis, quam foramina vasorum multo amplioribus, flavis, nitidis repleto; ligno radiato, subflavo. Manducata radix os urit, saporis subdulcis, deinde amari, odoris gravis.

Rejiciatur insectis corrosa, ne substituatur radix Angelicae silvestris *L.* multo minor, tenuior, receptaculis balsamiferis paucioribus, multo minoribus instructa.

Colligatur radix vere anni aetatis suae secundi. Bene siccata in vasis clausis servetur.

Radix Arnicae.

Arnikawurzel.

Wohlverleihwurzel.

Arnica montana *Linn.*

Rhizoma horizontale vel obliquum, variae longitudinis, ad tres millimetros crassum, flexuosum, praemorsum, obsolete annulatum, asperum, durum, extrinsecus fuscum, radicatum; cortice crassiore, intus albo, circa lignum subcitrinum radiatum, annulo ductuum balsamiferorum ornato; medulla ampla albida; radices subse-

cundae, longiores, ad millimetrum unum crassae, durae, fragiles, extrinsecus fuscae, intus albidae, cortice ducti bus balsamiferis instructo; manducata os urit raditque saporis subamari, odoris proprii gravis.

Ne confundatur radix auctumno vel vere collecta cum radicibus Achyrophori maculati, Hieraciorum, Betonicae, Fragariae, ductibus balsamiferis carentibus, neve cum illis Virgaureae et Eupatorii rhizomate crassiore instructis.

Radix Artemisiae.

Beifusswurzel.

Artemisia vulgaris *Linn.*

Radices longiores, ad duos millimetros crassae, flexuosae, subramosae, sulcatae, extrinsecus pallide fuscae, intus albae, undique e rhizomate verticali cylindrico, lignoso, ad duos et dimidium centimetros crasso enatae, in segmento transverso circa lignum centrale annulo interrupto ductuum balsamiferorum, e fusco rubrorum instructae.

Colligendae radices vere vel auctumno, non lavandae, a rhizomate et partibus putridis purgandae, celeriter siccandae et in vasis bene clausis non ultra annum unum servandae. In parando pulvere radicis recens siccatae lignum centrale remaneat et rejiciatur, pulvis autem in vasis clausis servetur.

Radix Asari.

Haselwurzel.

Rhizoma Asari.

Asarum Europaeum *Linn.*

Rhizoma obtuse quadrangulum, elongatum, ad duos millimetros crassum, remote articulatum, subdichotome ramosum, ramis uniarticulatis, coloris e griseo fusci; corticem crassiorem circulus saturate fuscus separat a ligno radiato, angusto, subfusco, medullam amplam farinosam cingente. Manducatum os urit, saporis piperacei, odoris camphoracei.

Ante dispensationem foliis residuis binis, petiolatis, renatis, radici emptae plerumque adhaerentibus liberetur.

Radix Bardanae.

Klettenwurzel.

Lappa officinalis *Allione* et aliae species generis Lappae.

Radix subsimplex, longa, digiti circiter crassitudine, extrinsecus rugosa, e cinereo fusca, intus pallide subfusca; cortice crassiore, intus saepe cavis minutis, quasi albis tomentosis minute lacunoso; ligno radiato; medulla tenui, lacerata, nivea; masticata radix est mucilaginea, saporis subdulcis, dein subamari, odoris minoris.

Colligatur radix auctumno primi vel vere secundi aetatis suae anni et loco sicco servetur; plerumque per longitudinem dissecta prostat.

Radix Belladonnae.

Belladonnawurzel.

Atropa Belladonna *Linn.*

Radix ramosa, longa, ad quatuor centimetros crassa, ramis longis, simplicibus instructa, recens carnosa, sicca farinosa, extrinsecus per longitudinem striata et rugosa et e subluteo cinerea, intus albida, fasciculis ligni ambitu annulatim approximatis, intus sparsis, subflavis, porosis instructa, fracta pulverem excitans.

Colligatur auctumno vel vere e planta spontanea non nimis vetula, ne deglubatur. Saepe per longitudinem dissecta prostat.

Radix lignosa, tenax, nigrescens, mucida, insectis corrosa est rejicienda.

Caute ne ultra annum unum servetur.

Radix Carlinae.

Eberwurzel.

Carlina acaulis *Linn.*

Radix longa, ad duos et dimidium centimetros crassa, subsimplex, saepe multiceps, extrinsecus fusca, longitudinaliter rugosa, saepissime per longitudinem ad centrum usque fissa et expansa; ligno nudato, reticulate undulato, intus pallidiore; cortice subtenui lignoque carnoso radiatis, ductus resiniferos e fusco rubros continentibus. Manducata radix os urit, saporis amari, odoris fragrantis ingrati.

Colligatur radix auctumno.

Radix Colombo.

Kolombowurzel.

Radix Columbo.

Jateorrhiza Calumba *Miers* (Cocculus palmatus *Wallich*).

Segmenta transversa suborbicularia, tres vel quatuor centimetros lata, quatuor ad duodecim millimetros crassa, extrinsecus rugosa, e griseo fusca, intus farinosa, coloris e subviridi vel e subfusco flavi, utrinque intra marginem latum elevatum concava vel circa centrum iterum elata; marginem convexum circulus coloris saturatioris striis numerosis radiatis decussatus dimidiat; e disco concavo emergunt fasciculi ligni sparsi. Radix valde mucilaginosa saporis est peramari; iodo soluto insperso colorem caeruleum induit.

Radix Gentianae.

Enzianwurzel.

Gentiana lutea *Linn.*

Radix praelonga, duos et dimidium centimetros crassa et ultra, breviter multiceps, paullum ramosa, in mercatura plerumque longitudinaliter secta occurrens, per longitudinem sulcata, superne annulis approximatis transverse rugosa, extrinsecus subflava vel e subrufo fusca, intrinsecus ex rufo vel ex aurantiaco subfusca, exsiccata fragilis, saepe spongiose porosa, in fractura aspera; cortice tenui, separato annulo saturatius tincto a ligno crasso et carnoso; saporis peramari, faucibus diu adhae-

rentis. Radices crassitudine digiti, strictiores, extrinsecus magis e cinereo fuscae, ceterum simillimae nonnullarum aliarum Gentianae specierum rejiciendae non sunt; sed cave, ne rhizomata Veratri immixta sint.

Radix verno tempore colligatur.

Radix Helenii.

Alantwurzel.

Radix Enulae.

Inula Helenium *Linn.*

Occurrunt in mercatura segmenta longitudinalia ad quatuor centimetros lata radicis primariae una cum ramis cylindricis, tenuioribus, decorticatis, interdum longitudinaliter fissis, coloris subflavi aut e subfusco albidi; saporis amari, odoris peculiaris. Radix sicca dura, fragilis, humescens tenax, intus receptaculis oleiferis numerosis, nitentibus, parvis est instructa; corticem crassiorem circulus saturatius tinctus separat a ligno carnoso, quod fasciculos vasorum angustos, citrinos radiosque medullares latos continet; medulla radicis primariae est satis ampla, ramorum deest.

Radix vere vel auctumno colligenda.

Radix Hellebori viridis.

Grüne Nieswurzel.

Helleborus viridis *Linn.*

Rhizoma radicosum, sursum ramosum; ramis adscendentibus, fere teretibus, annulatis, ad quatuor centimetros longis, ad quatuor millimetros crassis, in segmento

transverso cortice medullaque crassioribus instructis et fasciculis ligni latis, introrsum truncatis, paullum remotis, ad annulum interruptum dispositis; radicibus densis, ad decem centimetros longis, sesqui millimetrum crassis, fragilibus, ut ipsum rhizoma extrinsecus e fusco atris, intrinsecus plerumque sordide albis.

Ne confundatur cum radicibus Hellebori nigri *L.*, Adonidis vernalis *L.*, Actaeae spicatae *L.*; adhaereant folia pedata, herbacea, argute inaequaliterque serrata, quae ante dispensationem removeantur. Praeterea discernendae sunt radix Hellebori nigri: rhizomatis ramis in segmento transverso fasciculis ligni angustis cuneatis praeditis nec non radicibus pedalibus, ad tres millimetros crassis, saturate fuscis; radix Adonidis: rhizomate subsimplici, fere conico, densissime circum radicato; radix Actaeae: rhizomate squarrose ramoso, radicibus tenacibus longis.

Radix primo vere, antequam herba florescat, vel auctumno colligenda est.

Caute servetur.

Radix Ipecacuanhae.

Brechwurzel.

Cephaëlis Ipecacuanha ***Willdenow.***

Radix flexuosa, duos ad quatuor millimetros crassa, in utramque partem attenuata, annulis densis incompletis torosis verrucosa; cortice crasso, corneo, extrinsecus saturatius vel pallidius fusco, introrsum subfusco, non radiato, facile a ligno tenui albido separando.

Caute servetur.

In parando pulvere lignum, quod circiter quartam ponderis partem efficit, remaneat atque rejiciatur.

Radix Levistici.

Liebstöckelwurzel.

Levisticum officinale *Koch.*

Radix longiuscula, ad quatuor centimetros crassa, mollis, paullum tantum ramosa, extrinsecus transverse rugosa, longitudinaliter sulcata, coloris e subflavo fusci; intus pallide subflavi; cortice crassiore, lacunoso, ductibus balsamifluis aurantiacis, sparsis, subconcentrice ordinatis instructo; ligno denso molli; odoris peculiaris, saporis ingrati subdulcis, os urentis.

Radix Liquiritiae glabrae.

Spanisches Süssholz.

Radix Glycyrrhizae Hispanica.

Glycyrrhiza glabra *Linn.*

Radix longissima, fere simplex, ad duos centimetros crassa, ponderosa, extrinsecus e subfusco cinerea, per longitudinem rugosa, intus saturate flava; cortice crassiore, interiore ut lignum durum, grosse et rigide fibrosum, transversim dissectum densum radiis medullaribus linearibus radiato. Manducata fauces paullum radit, saporis dulcis.

In parando pulvere ne radix liquiritiae glabrae, sed radix liquiritiae mundata adhibeatur.

Radix Liquiritiae mundata.

Süssholzwurzel.

Radix Glycyrrhizae echinatae. Radix Liquiritiae Russica.

Glycyrrhiza echinata *Linn.*

Radix longa, ad quatuor centimetros crassa, cortice exteriore deglupta, plerumque et a cormo magno liberata, coloris flavi; libro subtenui, ligno crasso, levi, radiatim fisso, fractura valde fibrosa; saporis perdulcis.

Radix Ononidis.

Hauhechelwurzel.

Ononis spinosa *Linn.*

Radix praelonga, digitum fere crassa, in longitudinem profunde sulcata, multiceps, capitibus saepe longioribus, tenax flexibilisque; cortice tenuissimo, extrinsecus saturate fusco; ligno albido, fibroso, transverse dissecto duro, excentrico et manifeste quidem, sed inaequaliter et flabelli instar radiato; saporis paullum e subdulci amari, manducata urens.

Colligenda radix vere vel auctumno; in mercatura plerumque longitudinaliter fissa occurrit.

Radix Pimpinellae.

Pimpinellwurzel.

Pimpinella Saxifraga et Pimpinella magna *Linn.*

Radix longior, saepe multiceps, crassitudinis calami scriptorii ad illam digiti minoris, plerumque sim-

plex et recta, longitudinaliter sulcata, verrucosa, sursum transverse rugosa, coloris ex fusco subflavi; cortice crasso, intus aut niveo, sed radiis angustis, flavescentibus, ductus resiniferos parvos e fusco rubros continentibus aut subflavo, radiis subfuscis, circa lignum citrinum radiatum ad annulum fuscum confluentibus persecto. Manducata radix urens, saporis dulcis, odoris hircini.

Primo vere vel auctumno exeunte radix herbarum illarum est colligenda.

Radix Pimpinellae Saxifragae varietatis nigrae, extrinsecus nigra aut e fusco atra, cortice intus e cinereo vel e subcaeruleo radiato etiam adhiberi potest. Cave ne confundas cum radice Peucedani Oreoselini *Moenchii*, cujus lignum ex annulo interrupto ligni partium ex fasciculis vasorum pluribus cuneatis compositarum et radiatim dispositarum constat, neve cum radice Heraclei Sphondylii *L.* pallidiore, magis spongiosa lacunosaque et ductibus resiniferis multo rarioribus instructa, saepissime e capitibus radicalibus (rhizomatibus) validis, ramosis, asperis, radicatis constante.

Radix Pyrethri.

Bertramwurzel.

Radix Pyrethri Germanica.

Anacyclus officinarum *Hayne*.

Radix simplex, longa, ad quatuor millimetros crassa, extrinsecus e cinereo fusca, in longitudinem rugosa, intus pallidior, facile fragilis; cortice crassiore, orbe ductuum balsamiferorum instructo; ligno radiato. Manducata radix os urit et salivam copiosiorem movet.

Radix ante dispensationem a foliis cauleque residuis plerumque adhaerentibus est liberanda. Rejiciatur radix Pyrethri Italici, digiti crassitudine, saepissime vetula, insectis corrosa.

Radix Ratanhae.

Ratanhawurzel.

Krameria triandra *Ruiz et Pavon.*

Radix lignosa, trunco crassiore, sursum multicipite, infra ramoso, ramis longis, ad sesqui centimetrum crassis, cylindricis, divaricatis, aut rami soli a trunco abscissi; cortice tenui, in fractura subfibroso, coloris cinnamomei, saporis perausteri, subamari, sextuplo minimum tenuiore quam lignum paullo pallidius, fere insipidum, subtilissime radiatum et porosum.

Adhibeatur modo radix ex Peruvia advecta integra, ne ex parte decorticata, rejiciantur etiam radices et Granatensis et Texensis et Brasiliensis, utraque cortice crassiore instructa.

Radix Rhei.

Rhabarber.

Rhei species ignotae Sinenses.

Radicis segmenta multiformia, dura, omnino deglupta, saepe foramine instructa, fractura aspera, extrinsecus lutea, plerumque pulvere conspersa, introrsum radiis alternatim rubris et albis, sed multifariam contortis et intricatis variegata. Radix manducata inter dentes stridet, salivam colore flavo tingit; saporis et odoris peculiaris.

Rejicienda magis fusca, spongiosa, cariosa, mucida.

Ex imperio Sinensi aut itinere terrestri per Mosquam Rheum Russicum seu Moscoviticum, aut itinere maritimo per urbem Canton Rheum Sinense vel Indicum ad nos adfertur. Merx Russica olim permagni, hodie autem minoris aestimata colore saturatiore, pondere leviore et in segmento transverso figuris numerosissimis, albide et rubre radiatis a Sinensi discernitur. Radicem Rhei in Europa cultam, in segmento transverso aut plane ad centrum radiis rectis, alternatim rubris et albis instructam, quam vocant Austriacam, aut modo in ambitu sed manifeste radiatam, centrum versus albe et rubre punctatam absque figuris radiatis, quam vocant Anglicam, adhibere non licet.

Pulvis Rhei in vasis bene clausis servetur.

Radix Saponariae.

Seifenwurzel.

Saponaria officinalis *Linn.*

Radix teres, sensim attenuata, longior, pennae anserinae et majore crassitudine, longitudinaliter rugosa, caule residuo nodis protuberantibus praedito instructa; cortex extrinsecus ex fusco ruber, intus albus, circulo saturatius tincto a ligno non radiato, subcitrino, in centro albido et medulloso est separatus. Manducata radix fauces radit, spumas agit in ore et saporis est subdulcis, dein amaricantis.

Radix vere vel auctumno colligenda.

Radix Sarsaparillae.

Sassaparille.

Radix Sassaparillae vel Salsaparillae.

Smilax medica *Schlechtendal* et aliae species Smilacis generis.

Radices longissimae, ad sex millimetros crassae, striatae, extrinsecus e griseo fuscae vel e fusco rubrae; mesophloeo solido, crassiore, aut farinoso et albo aut corneo et subfusco; annulo ligni clauso; radiis medullaribus completis non instructo; medulla alba farinosa. Cormus, cui radices secundariae adnatae sunt, in mercatura saepe obvius, ante dispensationem est abscindendus.

Radix e terra Mexicana advecta, profunde sulcata, mesophloeo labente, tenui et ligno crassiore praedita, nec minus quaecunque lacera, macilenta aut stramento non dissimilis est rejicienda.

Radix Scammoniae.

Scammoniawurzel.

Convolvulus Scammonia *Linn.*

Radix saepe multiceps, cylindrica, praelonga, ad duos centimetros crassa, per longitudinem costata, extrinsecus fusca, introrsum pallidior, resinose punctata; cortice tenui; ligno transverse dissecto e partibus ligni sparsis, densis, seorsum radiatis, porosis, contextu celluloso separatis composito.

Ne confundatur cum radice Turpethi, quae transverse dissecta circum lignum centrale radiatum porosum cylindros ligni crassiores vel tenuiores intra corticem crassum dispositos habet.

Radix Senegae.

Senegawurzel.

Polygala Senega *Linn.*

Radix subcylindrica, in basi tuberculosa, ad sex millimetros crassa, apicem versus sensim attenuata, paullum ramosa, subvoluta, in interiore curvaturae latere carina corticali arguta praedita, in altero latere torosa, coloris e subflavo vel e cinereo fusci; cortice crassiore, intus subflavo; ligno pallide flavo, in latere carinae opposito vel plano vel exciso. Radix est tenuis odoris, manducata fauces radit.

Radix Serpentariae.

Virginische Schlangenwurzel.

Aristolochia Serpentaria *Linn.*

Rhizoma duo ad tres millimetros crassum, circiter duos et dimidium centimetros longum, horizontale, flexuosum, subdepressum, superne in longitudinem caulium residuis tenuibus, brevibus, infra radicibus numerosis, ad octo centimetros longis, tenuissimis, fragilibus, pallide fuscis obsitum. Lignum rhizomatis in latere inferiore est crassius quam in superiore et inaequaliter radiatum; lignum radicis quadrangulare vel quinquangulare. Radix saporis est amari, trita odoris camphoracei.

In vasis bene clausis servetur.

Radix Taraxaci.

Löwenzahnwurzel.

Taraxacum officinale *Weber*.

Radix siccata, triginta centimetros longa, in basi ad duos et dimidium centimetros crassa, cylindrica, apicem versus sensim attenuata, plerumque multiceps, paullum ramosa, longitudinaliter sulcata, extrinsecus paene ex atro fusca; cortice crasso, intus albo, fungoso, in segmento transverso circulis numerosis concentricis instructo; ligno citrino poroso; sapore amaro.

Radix auctumno colligenda.

Radix Taraxaci cum herba.

Planta recens vere colligenda, vulnerata lactescens, radice subcarnosa, extrorsum pallidius vel saturatius fusca; foliis rosulatis, runcinatis, denticulatis, fere glabris; sapore e dulci subamaro.

Ad extractum parandum adhibeatur.

Radix Valerianae.

Baldrian.

Radix Valerianae minoris vel montanae.

Valeriana officinalis *Linn*.

Radices e cormo ad quatuor centimetros longo, duos et dimidium centimetros crasso, interdum stolonifero undique enatae, copiosissimae, longae, ad duos millimetros crassae, teretes, recentes albae, siccatae e cinereo fuscae,

striatae, cortice intus subfusco lignoque tenui pallidiore instructae; manducata radix urens, saporis amari, odoris peculiaris gravis.

Colligenda radix auctumno et siccata in vasis clausis servanda.

Resina Draconis.

Drachenblut.

Sanguis Draconis.

Daemonorops Draco *Blume.*

Resina ex fusco rubra, opaca, fragilis, odoris et saporis expers, trita pulverem cinnabarinum praebens, in spiritu perfecte, in aethere, in oleis pinguibus et aethereis plus minusve solubilis. Occurrit in bacillis vix digitum crassis, palmae pinna obvolutis aut in placentis.

Resina Guajaci.

Guajakharz.

Guajacum officinale *Linn.*

Frusta globosa, magnitudine avellanae ad illam juglandis aut massae deformes, extrinsecus subviridi pulvere conspersae, friabiles, fractura e flavo viridi aut fere badia, nitore vitreo; odoris mitioris peculiaris. Resina Guajaci cum substantiis oxydantibus viridescit aut caerulescit; spiritu et liquore kali caustici solvitur.

Resina Jalapae.

Jalapenharz.

R. **Tuberum Jalapae grosso modo pulveratorum** *partem unam*. 1.
Superfusam
Spiritus *partibus quatuor* . . . . 4.
digere per horas viginti quatuor. Post refrigerationem exprime, residuo **spiritus** *partes duas* infunde et fac ut antea. A tincturis commixtis et filtratis spiritus in balneo vaporis destillando separetur. Resina **aqua communi fervida** eluatur, donec aqua coloris fere expers defluat, tum resina in balneo vaporis calefiat, donec portiuncula exemta et refrigerata fragilis et facile friabilis exhibeatur, deinde in bacillos redigatur.

Sit in fractura splendens, e flavo fusca et friabilis, in spiritu plane, in aethere exigua ex parte tantum solubilis.

Caute servetur.

Resina Pini.

Fichtenharz.

Resina Pini Burgundica. Pix alba.

Abietinarum species variae.

Resina flava aut ex flavo fusca, opaca aut diaphana, fragilis, in fractura nitens, manu tractata emollescens, odoris terebinthini, in spiritu fere tota solubilis.

Resina Scammoniae.

Scammoniaharz.

Paretur e **Radice Scammoniae** uti **Resina Jalapae.**

Sit e viridi fusca, fractura splendente, in spiritu perfecte solubilis.

Caute servetur.

Rhizoma Calami.

Kalmuswurzel.

Radix Calami.

Acorus Calamus *Linn.*

Rhizoma subcylindricum, compressum, ad duos et dimidium centimetros latum, extrinsecus subviride, rubens vel subfuscum, densius annulatum et infra radicibus abscissis cicatricatum, intus albidum, canalibus aëriferis creberrimis spongiosum; saporis amari, odoris gravis peculiaris. Ad usum medicum rhizoma nonnisi decorticatum adhibeatur.

Rhizoma auctumno praecipite colligendum.

Rhizoma Caricis.

Rothe Quecke.

Sandriedgraswurzel. Radix Caricis.

Carex arenaria *Linn.*

Rhizoma longissimum, ad tres millimetros crassum, subcylindricum, paullum compressum, ramosum, coloris pallide e griseo fusci, remote nodosum, ad nodos tantum

vaginis laceris radicibusque instructum, intus medulla alba fartum; circulus coloris intensioris corticem lacunis amplis annulatim dispositis interceptum separat a ligno e fasciculis ligni inter parenchyma album parcum sparsis densis constante; manducatum fauces paullum radit, saporis subdulcis, dein subamari.

Ne confundatur cum rhizomate Caricis hirtae *L.* extrinsecus ex fusco rubro, in internodiis etiam radicato, cortice solido albo praedito.

Rhizoma verno tempore colligendum.

Rhizoma Chinae.

Chinawurzel.

Radix Chinae.

Smilax China *Linn.*

Rhizoma tuberosum, variae magnitudinis et formae, saepissime oblongum et curvatum, ad viginti centimetros longum, ad quinque centimetros crassum, ponderosum, compactum, extrinsecus a radicibus et ex parte a cortice exteriore purgatum, ex rubro fuscum, intus e subrubro albidum, punctis saturate tinctis perspersum, amylo uberrimum; manducatum mucilaginosum, subausterum, saporis subdulcis.

Rejiciantur rhizomata levia, spongiosa, etiam pallidiora. Cave ne sit lithargyro inquinatum, quod ad explenda foramina rhizomatis ab insectis corrosi applicatur.

Rhizoma Curcumae.

Kurkuma.

Radix Curcumae.

Curcuma longa *Linn.* et Curcuma viridiflora *Roxburgh.*

Rhizoma aut ovale, magnitudine nucis juglandis (Curcuma rotunda), aut cylindricum, ad quatuordecim millimetros crassum (Curcuma longa), compactum, ponderosum, subcorneum, extrinsecus e flavo fuscum, plus minusve annulatum, in fractura transversa paullum planum, aurantiacum, circulo coloris saturatioris instructum; odoris tenuis zingiberacei, manducatum os urens, salivam colore flavo tingens, saporis subamari. Pigmenti solutio laete flava et alkaliis et acido borico fuscatur.

Rhizoma Filicis.

Wurmfarnwurzel.

Radix Filicis maris.

Polystichum Filix mas *Roth.*

Rhizoma variae longitudinis, ad duos et dimidium centimetros crassum, recens carnosum, exsiccatum spongiosum, leve, intus coloris viridis, paullum cinnamomei, instructum fasciculis vasorum majusculis ad annulum interruptum dispositis, dense obtectum in superficie tota petiolorum residuis secundis, adscendentibus, angulatis, carnosis, extrinsecus ex atro fuscis, intus viridibus squamisque paleaceis fuscis, quibus signis a similibus rhizomatis differt; saporis e dulci subamari, odoris peculiaris subnauseosi.

Colligatur rhizoma auctumno; ne ultra annum unum servetur.

Ad pulverem parandum rhizoma a petiolorum residuis squamisque et radicibus liberatum una cum reliquiis petiolorum degluptis caute siccetur et pulvis viridis in vasis bene obturatis servetur; pulvis coloris cinnamomei rejiciatur.

Rhizoma Galangae.

Galgant.

Radix Galangae.

Alpinia officinarum *Fletcher Hance.*

Rhizoma digiti crassitudine, ad quinque centimetros longum, cylindricum, breve et subramosum, saepe geniculatum, in longitudinem striatum, extrinsecus e rufo fuscum, albide annulatum, intus coloris cinnamomei, circulo fusco notatum, valde fibrosum; manducatum os urens, saporis subamari, odoris peculiaris.

Rhizoma Graminis.

Queckenwurzel.

Radix Graminis.

Agropyrum repens *Beauvois.*

Rhizoma longissimum, ad duos millimetros crassum, ramosum, teres, remote nodosum, ad nodos tantum radicibus obsitum et vaginatum, fistulosum, coloris pallide straminei, saporis dulcis. Rhizoma plerumque concisum in mercatura occurrens adhibere licet.

Rhizoma verno tempore colligendum est.

Rhizoma Imperatoriae.

Meisterwurzel.

Radix Imperatoriae.

Imperatoria Ostruthium *Linn.*

Rhizoma elongatum, fere teres, sursum saepe ramosum, dilatatum, complanatum, ad duos centimetros latum, e griseo fuscum, annulatum, verrucosum, intus carnosum, pallide citrinum; ligno angusto; cortice medullaque ampla instructis receptaculis balsamiferis magnis; odoris gravis, saporis subamari urentis.

Rhizoma vere vel auctumno colligendum est.

Rhizoma Iridis.

Veilchenwurzel.

Radix Iridis Florentinae.

Iris Florentina *Linn.*

Rhizoma decorticatum, depressum, solidum, durum, variae longitudinis, ad quatuor centimetros fere latum, articulatum, in latere inferiore radicibus resectis cicatricatum, coloris albidi, saepe ramis clavatis mixtum, odorem violarum praebens.

Rhizoma Tormentillae.

Tormentillwurzel.

Radix Tormentillae.

Potentilla Tormentilla *Sibthorp.*

Rhizoma tuberosum, variae formae, multiceps, rectum vel curvatum, ad duos et dimidium centimetros crassum,

ad octo centimetros longum, solidum, durum, extrinsecus coloris saturate e rubro fusci, gibbosum, radicibus filiformibus resectis cicatricatum, intus e fusco rubrum; cortice tenui; annulo fasciculorum ligni albidorum et medulla ampla instructum; sapore valde adstringente.

Rhizoma verno tempore colligendum est.

Rhizoma Veratri.

Weisse Nieswurzel.

Radix Veratri albi. Radix Hellebori albi.

Veratrum album *Linn.*

Rhizoma conicum, ad octo centimetros longum, superne duos ad quinque centimetros latum, saepe multiceps, foliis desectis breviter comatum, extrinsecus e subnigro vel e subfusco cinereum, obsolete annulatum, radicibus frequentibus resectis albide cicatricatum, intus sordide album, annulo fusco subcorticali instructum, durum; manducatum valde urens, contritum sternutamentum vehementissimum movens.

Caute servetur.

Rhizoma Zedoariae.

Zittwerwurzel.

Radix Zedoariae.

Curcuma Zedoaria *Roscoe.*

Cormus ovalis, annulatus, ad duos et dimidium centimetros crassus, radicibus corticeque exteriore resectis, per transversum, interdum per longitudinem sectus,

compactus, tenax, coloris pallide e griseo subfusci, glandulis parvis resiniferis instructus; manducatus os urens; saporis amaricantis, odoris gravis camphoracei.

Merx levis, insectis corrosa est rejicienda.

Rhizoma Zingiberis.

Ingwer.

Radix Zingiberis.

Zingiber officinale *Roscoe.*

Rhizoma compactum, ponderosum, disticho breviterque ramosum, depressum, ad duos centimetros latum, aut undique aut in frontibus modo, non in margine decorticatum, intus pallide subflavum aut albidum, circulo coloris saturatioris subcorticali receptaculisque resiniferis parvis creberrimis instructum, fractura paullum fibrosa; manducatum os urens, odoris peculiaris aromatici.

Rhizoma Zingiberis albissimum calcaria pallidum factum, interdum in mercatura occurrens, adhibere non licet.

Rotulae Menthae piperitae.

Pfefferminzkuchen.

R. **Rotularum Sacchari** *partes ducentas,* . . . . . **200.**
Olei Menthae piperitae *partem unam,* . . . . . **1.**
Spiritus *partes duas.* . . . . **2.**

Oleum menthae et spiritum in vas vitreum infunde, quod ita versetur, ut vasis parietes interiores sint humectati. Tum rotulis sacchari immissis vas bene conquassa, ut rotulae perfecte humectentur.

In vase bene clauso serventur.

Saccharum.

Zucker.

Sit albissimum et siccum.

Saccharum Lactis.

Milchzucker.

Crystalli albidae, diaphanae, prismaticae, in cylindros vel crustas concretae, odoris expertes, saporis subdulcis, inter dentes stridentes, in aquae frigidae partibus sex lente solubiles, in spiritu non solubiles.

Sandaraca.

Sandarak.

Resina Sandaraca.

Callitris quadrivalis *Ventenat.*

Grana elongata, subcitrina, extrinsecus pulvere albido conspersa, in fractura vitri instar splendentia, pellucida, manducata non mollescentia, saporis amaricantis. Calefacta odorem gratum spargunt, liquescunt et deflagrant. In spiritu frigido ex parte, in spiritu fervido et in oleo Terebinthinae plane solubilia.

Santoninum.

Santonin.

Acidum santonicum.

Lamellae crystallinae nitentes, odoris expertes, vix in aqua frigida, in aquae fervidae partibus ducentis quinquaginta, in spiritus partibus quadraginta quatuor,

in spiritus ebullientis partibus tribus, in aetheris septuaginta quinque, in aetheris fervidi partibus duabus, in chloroformii partibus tribus solubiles, solutionem neutralem praebentes. Santoninum acidis aqua dilutis paene, facile autem liquore kali vel natri caustici vel aqua calcariae solvitur, ex qua solutione acido quovis instillato praecipitatur; caute calefactum calore 170° liquescens, tum inter lenem refrigerationem in massam crystallinam, inter acceleratam refrigerationem autem in massam amorpham rigescit; calore gradum, quo liquescit, supergrediente ex parte sine destructione sublimatur; cum kali caustico in spiritu soluto praebet liquorem coccineum, postea sensim in liquorem decolorem transeuntem; luce flavum tingitur.

A luce remotum servetur.

Sapo domesticus.

Hausseife.

Sit quam maxime albus et durus, in partibus octo spiritus fervidi solubilis, post refrigerationem massam subdiaphanam gelatinosam praebens.

Sapo jalapinus.

Jalapenseife.

R. **Resinae Jalapae,** . . . . 4.
Saponis medicati singulorem *partes quatuor.* . . 4.
Superfusae
Spiritus diluti *partibus octo* . . . . 8.

solvantur et in balneo vaporis inter continuam agitationem ad massae pilularis densitatem evaporent, ut totum pondus sit *partium novem.*

Sit coloris e fusco grisei, in spiritu solubilis.

Sapo medicatus.

Medicinische Seife.

R. **Liquoris Natri caustici** *partes sexaginta.* . . . 60.
In patinam porcellaneam infusis et in balneo vaporis calefactis inter perpetuam agitationem paullatim adde

Olei Olivarum Provincialis *partes centum.* . . 100.
Digere saepius agitando, donec sapo durus effectus fuerit, cui soluto in

Aquae destillatae *partibus trecentis* . . . . 300.
adde solutionem paratam e

Natrii chlorati *partibus viginti quinque,* . . . . 25.
Aquae destillatae *partibus septuaginta quinque* 75.
et coque inter agitationem, donec sapo perfecte secretus fuerit, qui refrigeratus **aqua destillata** abluatur et denuo solvatur in

Aquae destillatae calidae *partibus sexaginta* . 60.
vel ea quantitate, ut fiat massa homogenea, quae adhuc calida in cistulam linteo madefacto superposito effundatur, tum post refrigerationem in frustula scissa et loco tepido bene exsiccata in pulverem redigatur.

Sit pulvis albus, odoris non rancidi, in aqua et in spiritu perfecte solubilis. In aqua solutus aqua hydrosulfurata ne mutetur.

Sapo oleaceus.

Oelseife.

Sapo Hispanicus. Sapo Venetus.

Sit albus, durus, in aëre non humescens aut lentescens, odoris non rancidi, in spiritu et in aqua perfecte solubilis.

Sapo terebinthinatus.

Terpenthinölseife.

Balsamum Vitae externum.

R. **Saponis oleacei pulverati,** . . . . **6.**
Olei Terebinthinae, singulorum *partes sex,* . . . **6.**
Kali carbonici depurati subtilissime pulverati *partem unam.* . . . . **1.**

Misce exacte, ut fiat massa densitatis unguenti.

Sit albus, postremo flavescens.

Sapo viridis.

Grüne Seife.

Sapo kalinus. Sapo niger.

Massa lubrica, mollis, coloris e flavo viridis, odoris nauseosi.

Saturationes.

Saturationen.

Loco **saturationis,** nisi a medico aliud praescribitur, semper **Potio Riveri** dispensetur.

Saturationes, ad quas parandas substantia basica et acidum diserte praescripta sunt, eo modo quo **Potio Riveri** parentur.

Sebum.

Talg.

Bos Taurus *Linn.* Ovis Aries *Linn.*

Pingue solidum, album, odoris proprii, calore 45 ad 50° liquescens.

Sebum rancidum rejiciatur.

Secale cornutum.

Mutterkorn.

Claviceps purpurea *Tulasne.*

Stromata sterilia, obtuse trigona, plerumque curvata, utrinque vel sursum modo attenuata, trisulca, coloris e violaceo nigricantis, saepe pruinosa, intus pallidiora, in apice non raro appendice, calyptra sordide alba molli, instructa, circiter duos et dimidium centimetros longa, ad tres millimetros lata; saporis nauseosi.

Secale cornutum tantum e spicis Secalis cerealis *L.* desumatur, et siccatum in vasis bene clausis ne ultra annum unum, si fieri potest, servetur. Corrosum mucidum, rancidum, odorem ammoniacalem spargens rejiciatur.

Semen Colchici.

Zeitlosensamen.

Colchicum autumnale *Linn.*

Semina plane matura, subglobosa, ad duos millimetros crassa, cornea, extrinsecus saturate fusca, scrobiculata, si non vetusta subviscida, intus pallide grisea; saporis nauseosi peramari.

Semen prima aestate colligendum, nec ultra annum unum et caute servandum est.

Semen Cydoniae.

Quittensamen.

Quittenkörner.

Cydonia vulgaris *Persoon.*

Semina cuneata, angulata vel compressa, ad sex millimetros longa, badia, membranula mucilaginea albida opaca obtecta, plerumque plura conglutinata, in aqua turgescentia et mucilagine emollita lubrica.

Ne sit seminibus notissimis Piri, Mali, Vitis adulteratum.

Semen Foeni Graeci.

Bockshornsamen.

Trigonella Foenum Graecum *Linn.*

Semina durissima, subrhomboidea tetragona, utrinque oblique truncata, e luteo fusca, ad tres millimetros longa; embryone uncinate curvato; radicula sub testa valde elevata; odoris ingrati et graviter melilotini, manducata mucilaginosa, saporis amari.

Semen Hyoscyami.

Bilsensamen.

Hyoscyamus niger *Linn.*

Semina minima, compressa, subreniformia, scrobiculata, coloris e cinereo subfusci, intus albida; saporis oleosi amari.

Sint semina plane matura.

Ne ultra annum unum **caute** servetur.

Semen Lini.

Leinsamen.

Linum usitatissimum *Linn.*

Semina ovata, compressa, quatuor millimetros circiter longa, badia, nitida, in aqua emollita lubrica; saporis mucilaginei oleosi.

Ne ultra annum unum servetur. Cave ne fructus Lolii arvensis *Schraderi* immixti sint.

Ad parandam farinam Lini semina herbae a nobis cultae in pulverem subtilem redigantur.

Semen Myristicae.

Muskatnuss.

Nux moschata.

Myristica fragrans *Houttuyn.*

Nuclei ovales, ad duos et dimidium centimetros longi, extrinsecus reticulati, saepe pulvere albo adspersi, intus pallide subfusci, integumenti interioris processibus saturate aurantiacis ruminati; saporis et odoris aromatici.

Nuclei mucidi vel ab insectis corrosi, nec non oblongi et longiores Myristicae fatuae *Houtt.* saporis et odoris tenuioris rejiciantur.

Semen Papaveris.

Mohnsamen.

Papaver somniferum *Linn.*

Semina parva, reniformia, reticulate scrobiculata, albida; saporis subdulcis oleosi.

Vetustum, rancidum est rejiciendum.

Semen Quercus tostum.

Eichelkaffee.

Semina Quercus in cylindro cavo ferreo clauso super ignem circumagendo torreantur, donec colorem fuscum induerint, tum refrigerata in pulverem crassum redigantur.

Sit pulvis subfuscus, odoris subempyreumatici, coffeae tostae propinqui, saporis vix styptici.

Semen Sinapis.

Schwarzer Senfsamen.

Brassica nigra *Koch.*

Semina subglobosa, millimetrum unum crassa, scrobiculata, extrinsecus e fusco ferruginea, intus flava, pulverem praebentia e subflavo viridem, qui aqua humectatus auram volatilem acerrimam exhalat, manducatus saporis primum subamari oleosi, tum os acerrime urit.

Ne adulteratum sit semine Brassicae Rapae *L.* sesquimajore, laeviore, saturate fusco, minus acri, neve semine majore laevi varietatis melanospermae Sinapis albae *L.*

Pulvis semper recens paratus in promptu habeatur.

Semen Stramonii.

Stechapfelsamen.

Semen Daturae.

Datura Stramonium ***Linn.***

Semina reniformia, compressa, leviter scrobiculata, extrinsecus nigra, opaca, intus alba, ad duos millimetros longa et paullo latiora; saporis ingrati, subamari.

Sit plane maturum; **caute** servetur.

Semen Strychni.

Krähenaugen.

Brechnuss. Strychnossamen. Nux vomica.

Strychnos Nux vomica ***Linn.***

Semina discoidea, orbicularia, circiter duos et dimidium centimetros lata, in centro umbilicata, densissime indumento sericeo, e subflavo griseo, adpresso vestita, cornea, intus fissa, albida; saporis peramari.

Pulvis venalis ne adhibeatur.

Caute servetur.

Serum Lactis.

Molken.

Serum Lactis dulce.

R. **Lactis vaccini recentis** *partes ducentas,* . . . . **200.**

Liquoris seripari *partem unam.* . . . . **1.**

Exactissime commixtas et ad 35 vel 40° calefactas sepone, tum coagulatione peracta colando serum lactis a caseo separa.

Sit e flavo album, saporis non acidi.

Serum Lactis acidum.

Saure Molken.

R. **Lactis vaccini recentis** *partes centum.* . . . . . 100.
Ad ebullitionem usque calefactis immisce
Tartari depurati *partem unam.* . . . . 1.
Coagulatione peracta serum refrigeratum et colando a caseo separatum filtra.

Sit acidulum, paullum turbidum.

Serum Lactis aluminatum.

Alaunmolken.

Paretur uti **Serum Lactis acidum**, nisi quod loco tartari depurati sumatur
Aluminis pulverati *pars una* . . . . 1.

Serum Lactis tamarindinatum.

Tamarindenmolken.

Paretur uti **Serum Lactis acidum**, nisi quod loco tartari depurati sumantur
Pulpae Tamarindorum crudae *partes quatuor.* . 4.
Sit e rubente subfuscescens.

Sinapismus.

Senfteig.

R. **Seminis Sinapis pulverati** *quantum vis.*
Misce cum
Aquae communis *quantitate aequali,*
ut fiat cataplasma mollioris densitatis.

Nonnisi ad dispensationem paretur.

Species aromaticae.

Aromatische Kräuter.

R. **Foliorum Menthae piperitae,** . . . . 2.
Foliorum Rosmarini, ... 2.
Herbae Serpylli, ... 2.
Herbae Majoranae, ... 2.
Florum Lavandulae, singulorum *partes duas,* . 2.
Caryophyllorum, ... 1.
Cubebarum, singulorum *partem unam.* . . . . . 1.

Singulae minutim concisae, contusae et a pulvere subtili liberatae misceantur.

In vase clauso serventur.

Species ad Decoctum Lignorum.

Holzthee.

R. **Ligni Guajaci** raspati *partes quatuor,* . . . . . . 4.
Radicis Bardanae, ... 2.
Radicis Ononidis, singularum concisarum *partes duas,* . . . . 2.
Radicis Liquiritiae mundatae, ... 1.
Ligni Sassafras, singulorum concisorum *partem unam.* . . . . 1.

Misceantur.

Species emollientes.

Erweichende Kräuter.

R. **Foliorum Althaeae,**
Foliorum Malvae,

Herbae Meliloti,
Florum Chamomillae vulgaris,
Seminis Lini, singulorum *partes aequales.*
Contundantur et misceantur, ut fiat pulvis grossus.

Species ad Gargarisma.

Species zum Gurgeln.

R. **Foliorum Althaeae,**
Florum Sambuci,
Florum Malvae vulgaris, singulorum *partes aequales.*
Concisae misceantur.

Species laxantes St. Germain.

Saint-Germainthee.

R. **Foliorum Sennae Spiritu Vini extractorum** *partes sedecim,* . . . . **16.**
Florum Sambuci *partes decem,* . . . . **10.**
Fructuum Foeniculi, ... **5.**
Fructuum Anisi vulgaris, singulorum *partes quinque.* . . . . **5.**
Concisae et contusae misceantur.
Quum dispensantur, adde
Tartari depurati *partes tres.* . . . . **3.**

Species pectorales.

Brustthee.

Species ad Infusum pectorale.

R. **Radicis Althaeae** concisae *partes octo*, ... 8.
Radicis Liquiritiae mundatae concisae *partes tres*, 3.
Rhizomatis Iridis concisi *partem unam*, ... 1.
Foliorum Farfarae concisorum *partes quatuor*, . 4.
Florum Verbasci concisorum, ... 2.
Fructuum Anisi stellati contusorum, singulorum *partes duas*. . . . . 2.

Misceantur.

Species pectorales cum Fructibus.

Brustthee mit Früchten.

R. **Specierum pectoralium** *partes sedecim*, ... 16.
Fructuum Ceratoniae concisorum *partes sex*, . 6.
Seminis Hordei excorticati *partes quatuor*, . . 4.
Caricarum concisarum *partes tres*. . . . . 3.

Misceantur.

Spiritus.

Weingeist.

Spiritus Vini rectificatissimus. Alcohol Vini.

Sit limpidus, coloris expers, ab oleo graveolente, Fuselöl dicto, omnino liber, plane volatilis, nullius reactionis, ponderis specifici 0,830 ad 0,834, quod respondet alcoholis partibus mensura dimensis 91 ad 90 in 100 partibus.

Spiritus aethereus.

Hoffmannstropfen.

Aetherweingeist. Liquor anodynus mineralis Hoffmanni.

R. **Aetheris** *partem unam,* . . . . **1.**
Spiritus *partes tres.* . . . . **3.**
Misceantur.

Sit limpidus, coloris expers, ponderis specifici 0,808 ad 0,812.

In vase bene clauso servetur.

Spiritus Aetheris chlorati.

Versüsster Salzgeist.

Spiritus Salis dulcis.

Spiritus muriatico-aethereus.

R. **Mangani hyperoxydati** in frustula magnitudine nucis avellanae diffracti *quantum sufficit.*

Immitte in cucurbitam partium centum viginti. aquae capacem usque ad collum, tum affunde

Acidi hydrochlorici crudi *partes sex,* . . . . . . **6.**
Spiritus *partes viginti quatuor,* . . . . **24.**

antea mixtas, sed vide ut manganum hyperoxydatum e liquore emineat. Cucurbita cum apparatu refrigeratorio juncta fiat destillatio, donec *partes viginti quinque* destillaverint. Destillatum calcaria aqua exstincta ab acido liberatum leni calore rectificetur, donec *partes viginti una* transierint.

Sit liquor limpidus, coloris et acidi expers, ponderis specifici 0,838 ad 0,842.

Spiritus Aetheris nitrosi.

Versüsster Salpetergeist.

Spiritus nitroso-aethereus. Spiritus nitrico-aethereus. Spiritus Nitri dulcis.

R. **Spiritus** *partes quadraginta octo,* . . . . 48.
Acidi nitrici *partes duodecim.* . . . . 12.

In retortam vitream infusae destillent, donec *partes quadraginta* . . . . 40.
elicitae fuerint. Liquori adde inter agitationem tantum **magnesiae ustae**, quantum ad acidum saturandum requiritur. Liquor per horas viginti quatuor sepositus decanthetur et in balneo vaporis denuo destillet.

Sit limpidus, odoris grati aetherei, coloris fere expers, ab acido, quantum fieri potest, liber, ponderis specifici 0,840 ad 0,850.

In lagenis parvis repletis, bene clausis loco frigido servetur.

Spiritus Angelicae compositus.

Zusammengesetzter Engelwurzelspiritus.

Loco Spiritus theriacalis.

R. **Radicis Angelicae** concisae *partes sedecim,* . . 16.
Radicis Valerianae concisae, ... 4.
Fructuum Juniperi contusorum, singulorum *partes quatuor.* . . . . 4.

In vesicam destillatoriam immissis affunde
Spiritus *partes septuaginta quinque,* . . . . . . 75.
Aquae communis *partes centum et vigintiquinque,* 125.

tum macera per horas viginti quatuor. Quo facto destillent *partes centum*, ... 100.
in quibus solvantur

Camphorae *partes duae*. . . . . 2.

Postremo filtra.

Sit limpidus, coloris expers.

Spiritus camphoratus.

Kampferspiritus.

R. **Camphorae** *partem unam*. . . . . 1.
Solutae in

Spiritus *partibus septem* . . . . 7.
admisce

Aquae destillatae *partes duas*. . . . . 2.

Sit limpidus, coloris expers.

Spiritus Cochleariae.

Löffelkrautspiritus.

R. **Herbae Cochleariae** florentis recentis concisae *partes octo*. . . . . 8.
Affusis

Spiritus, ... 3.

Aquae communis, singulorum *partibus tribus* . . 3.

destillent *partes quatuor*. . . . . 4.

Sit limpidus, coloris expers.

Spiritus dilutus.

Verdünnter Spiritus.

Spiritus Vini rectificatus.

R. **Spiritus** *partes septem,* . . . . 7.
Aquae destillatae *partes tres.* . . . . 3.
Misce.

Sit limpidus, coloris expers, ponderis specifici 0,892 ad 0,893, quod respondet alcoholis partibus mensura dimensis 69 ad 68 in 100 partibus.

Spiritus Formicarum.

Ameisenspiritus.

R. **Formicarum recens collectarum et contritarum** *partes decem,* . . . . 10.
Spiritus, ... 15.
Aquae communis, singulorum *partes quindecim.* 15.
Macera per biduum, tum destillando eliciantur *partes viginti.* . . . . 20.

Sit limpidus, coloris expers, chartam exploratoriam caeruleam rubefaciat; partes viginti cum liquoris plumbi subacetici parte una mixtae mixturam fere plane crystallis plumosis repletam praebeant.

Spiritus Juniperi.

Wachholderspiritus.

R. **Fructuum Juniperi** contusorum *partes quinque,* 5.
Spiritus, ... 15.
Aquae communis, singulorum *partes quindecim.* 15.
Macera per horas viginti quatuor, tum destillando eliciantur *partes viginti.* . . . . 20.
Sit limpidus, coloris expers.

Spiritus Lavandulae.

Lavendelspiritus.

Paretur e **Floribus Lavandulae** uti **Spiritus Juniperi.**
Sit limpidus, coloris expers.

Spiritus Melissae compositus.

Karmelitergeist.

R. **Foliorum Melissae** *partes quatuordecim,* . . . . 14.
Corticis Fructus Citri *partes duodecim,* . . . . 12.
Fructuum Coriandri, ... 6.
Seminis Myristicae, singulorum *partes sex,* . . 6.
Corticis Cinnamomi Cassiae, ... 3.
Caryophyllorum, singulorum *partes tres.* . . . . 3.
Concisis, contusis affunde
Spiritus *partes centum et quinquaginta,* . . . . 150.
Aquae communis *partes ducentas et quinquaginta.* . . . . 250.
Destillando eliciantur *partes ducentae.* . . . . 200.
Sit limpidus, coloris expers.

Spiritus Menthae crispae Anglicus.

Englische Krauseminzessenz.

R. **Olei Menthae crispae** *partem unam,* . . . . 1.
Spiritus *partes novem.* . . . . 9.

Misce.

Sit limpidus, coloris expers.

Spiritus Menthae piperitae Anglicus.

Englische Pfefferminzessenz.

R. **Olei Menthae piperitae** *partem unam,* . . . . . . 1.
Spiritus *partes novem.* . . . . 9.

Misce.

Sit limpidus, coloris expers.

Spiritus Rosmarini.

Rosmarinspiritus.

Spiritus Anthos.

Paretur e **Foliis Rosmarini** uti **Spiritus Juniperi.**

Sit limpidus, coloris expers.

Spiritus saponatus.

Seifenspiritus.

R. **Saponis oleacei** rasi *partem unam.* . . . . 1.

Solve digerendo leni calore in

Spiritus *partibus tribus,* . . . . 3.
Aquae Rosae *partibus duabus* . . . . 2.

et filtra.

Sit limpidus, coloris subflavi.

Loco non nimis frigido servetur.

Spiritus Serpylli.

Quendelspiritus.

Paretur ex **Herba Serpylli** uti **Spiritus Juniperi.**

Sit limpidus, coloris expers.

Spiritus Sinapis.

Senfspiritus.

R.	**Olei Sinapis** *partem unam,*	1.
	Spiritus *partes quinquaginta.*	50.

Misce.

In vasis bene obturatis **caute** servetur.

Spongiae ceratae.

Wachsschwämme.

Spongiae marinae foraminibus parvis instructae, ab heterogeneis liberatae et siccatae in frusta dissecentur, **cerae flavae liquefactae** probe immergantur, prelo calefacto fortiter exprimantur et, quum refrixerint, a cera superflua liberentur.

Spongiae compressae.

Pressschwamm.

Spongiae marinae electae foraminibus parvis perviae, a calculis et conchis diligenter liberatae in frusta oblonga dissecentur, quae aqua communi fervida madefacta funiculis arcte circumductis fortiter ita constringantur, ut singula frusta cylindri ad digitum fere longi formentur, qui siccati et constricti serventur.

Stibium sulfuratum aurantiacum.

Goldschwefel.

Sulphur stibiatum aurantiacum. Sulphur auratum Antimonii.

Pulvis subtilissimus, coloris aurantiaci, odoris expers, in aqua et spiritu non solubilis, in acido hydrochlorico concentrato fervido, relicto sulfure, solubilis, in tubo vitreo calefactus sulfur sublimatum praebet et stibium tersulfuratum nigrum relinquit.

Sit in liquore kali caustici plane solubile; liquoris ammonii caustici partibus sexaginta ad octoginta, minore copia residui in acido tartarico solubilis relicta, solvatur. Cum aqua destillata contritum praebeat filtratum saporis non acidi, quod argento nitrico ne turbetur. Cum natri bicarbonici pari pondere et cum aqua contritum praebeat filtratum, quod affuso acido hydrochlorico praevalente ne colore flavo turbetur.

A luce arceatur et in vasis bene clausis servetur.

Stibium sulfuratum crudum.

Schwefelspiessglanz.

Antimonium crudum.

Frusta ponderosa, e nigro grisea, nitentia, inquinantia, in fractura radiatim crystallina; acido hydrochlorico superfusa et calefacta inter gasis hydrosulfurati emissionem decomponuntur.

Ab arsenio, plumbo et cupro, quantum fieri potest, liberum sit.

Pulveratum cum acidi hydrochlorici partibus decem coctum fere plane solvatur. Hujus solutionis decanthatae pars altera volumine aequali spiritus mixta tantummodo paullum turbetur, tum copia liquoris ammonii caustici praevalente addita praebeat filtratum non nimis caeruleum; solutionis pars altera, admixto acido hydrochlorico et addita stanni chlorati parva copia, inter calefaciendum non nimis fuscetur.

Stibium sulfuratum laevigatum.

Fein zerriebenes Schwefelspiessglanz.

Stibium sulphuratum nigrum laevigatum.

Ab arsenio plane, a plumbo et cupro, quantum fieri potest, liberum sit.

Stibium sulfuratum rubeum.

Mineralkermes.

Sulphur stibiatum rubeum. Kermes minerale.

R. **Natri carbonici crudi** *partes viginti quinque.* . . **25.**
Solve in
Aquae communis *partibus ducentis et quinquaginta,* **250.**
in lebete ferreo ad ebullitionem usque calefactis,
tum inter agitationem adde
Stibii sulfurati laevigati *partem unam.* . . . . **1.**
Coque per horas duas, aquam evaporatione deminutam semper restituendo, et liquorem adhuc ferventem in vas, quod paullum **aquae communis fervidae** continet, statim filtra.

Postquam refrixerit, praecipitatum in filtrum injiciatur, in eo **aqua destillata** abluatur, donec liquor colore imbutus defluere incipiat et charta exploratoria rubra non amplius mutetur. Postremo inter chartam bibulam preme, loco obscuro tepido (25° C.) exsicca, sedulo contere et in vasis bene obturatis a luce remotis serva.

Sit pulvis subtilissimus, e rubro fuscus, crystallulis oculo arte adjuto conspicuis.

Stipites Dulcamarae.

Bittersüssstengel.

Solanum Dulcamara *Linn.*

Caules ramive flexuosi, saepe torti, quatuor ad octo millimetros crassi, fere pentagoni, foliorum cicatricibus sparsis notati, plus minusve verrucosi, longitudinaliter striati vel sulcati, saepissime fistulosi, peridermate e subviridi vel e subfusco flavo, a cortice tenui, primum viridi, postremo albido facile separabili; ligno primum viridi, postremo subluteo, valde poroso, saepe annulis concentricis praedito. Cortex saporis amari, lignum saporis dulcis est.

Stipites fruticis biennes vel triennes auctumno, postquam folia deciderunt, colligantur, neve confundantur cum stipitibus Lonicerae Periclymeni *L.* cylindricis, cicatricibus foliorum oppositis instructis.

Strychninum.

Strychnin.

Crystalli parvae, columellares, durae, saporis valde amari, in aqua frigida fere minime, in aqua ebulliente parce tantum, in aethere vel spiritu absoluto fere non solubiles, paullo facilius solubiles in spiritu diluto. Spiritus ponderis specifici 0,889 partes centum solvunt strychnini partes quinque, quae solutio est reactionis alkalinae et ipsa valde diluta saporis amari, postea ingrati.

Strychninum acido sulfurico concentrato, calore non adhibito, solutum parva crystallulo kali bichromici adjecta colorem caeruleum vel violaceum trahat, qui color mox in rubentem, dein in viridem vertitur. Illa solutio kali caustico addito praebeat praecipitatum in kali caustico superabundante non solubile. Sales strychnini acido nitrico concentrato superfusi non nisi calore adhibito flavescant et strychninum acido nitrico diluto solutum sit coloris expers, colorem rubrum nunquam induat.

Cautissime servetur.

Strychninum nitricum.

Salpetersaures Strychnin.

Crystalli parvae, durae, saepius nitoris sericei, in aquae frigidae partibus sexaginta, in aquae ebullientis partibus tribus, in spiritu absoluto parce, in spiritu diluto facilius solubiles, solutiones neutrales saporis valde amari praebentes.

Ad reagentia uti strychninum se habeat.

Cautissime servetur.

Styrax liquidus.

Flüssiger Storax.

Liquidambar orientale ***Miller.***

Massa consistentiae spissioris terebinthinae, opaca, coloris plus minusve grisei, interdum cum aliquanto aquae permixta, odoris peculiaris grati, in spiritu fere solubilis.

Succinum.

Bernstein.

Frusta flava aut e flavo fusca, pellucida aut opaca, fragilia, in fractura conchata nitentia. In spiritu, aethere, oleis pinguibus et aethereis vix paullum solubilia.

Succus Juniperi inspissatus.

Wachholdermus.

Roob Juniperi.

Fructibus Juniperi recentibus contusis affunde **aquae communis fervidae quadruplum** et post refrigerationem modice exprime. Liquor subsidat, coletur et ad **extracti tenuioris** densitatem evaporet.

Sit fuscus, in aqua turbide solubilis.

Succus Liquiritiae crudus.

Lakriz.

Extractum Glycyrrhizae crudum.

Glycyrrhiza glabra *Linn.*

Baculi subcylindrici, ad centimetros quindecim usque longi, ad centimetros duos et dimidium crassi, e fusco nigri, nitentes, frigore fragiles, in fractura nigri nitentes, saporis dulcis, fauces vix radentis, in aqua ex maxima parte solubiles.

Succus Liquiritiae depuratus.

Gereinigter Lakrizensaft.

Extractum Glycyrrhizae depuratum.

Succus Liquiritiae crudus in dolio extractorio stratis altero alteri impositis, stramine aqua abluto interjecto, **aquae communis frigidae** ea quantitate superfundatur, ut obtegatur; tum maceretur per horas triginta sex. Deinde liquore per strophingem emisso maceratio eodem modo, quoties opus erit, cum nova quantitate aquae repetatur. Liquores colati perfecte limpidi in balneo vaporis ad extractum **spissum** evaporent.

Sit coloris fusci, cum aqua solutionem limpidam praebens.

Succus Sambuci inspissatus.

Fliedermus.

Fructus Sambuci maturi recentes inter continuam agitationem calefiant, ut dirumpantur, tum exprimantur. Succus expressus subsidat, et colatus ad

extracti **spissioris** densitatem evaporet. Succi inspissati adhuc calentis *partibus duodecim* . . . . 12.

Sacchari optimi pulverati *pars una* . . . . . . 1.
admisceatur.

Cave ne cupro iquinatus sit, quod lamina ferrea polita dignoscitur.

Sit coloris e rubro fusci, saporis dulcis aciduli; cum aqua solutionem paullum modo turbidam praebeat.

Sulfur depuratum.

Gereinigte Schwefelblumen.

Flores Sulphuris loti.

R. **Sulfuris sublimati** per cribrum trajecti *partes duodecim*, ... 12.
Aquae destillatae *partes octo*, ... 8.
Liquoris Ammonii caustici *partem unam*. . . . 1.

Miscendo in massam pultiformem redactas inter agitationem repetitam digere per dies tres, tum in manicam linteam immissas aqua destillata sedulo ablue, postremo sicca et per cribrum trajice.

Sit pulvis siccus, citrinus, subtilis, odore et sapore carens; accensus residuo minimo excepto volatilis; in liquore kali caustici plane solubilis; aqua humectata chartam exploratoriam caeruleam ne rubefaciat; cum liquore ammonii caustici digestum praebeat filtratum, quod acido hydrochlorico praevalente admixto nullo modo mutetur.

In vase bene clauso servetur.

Sulfur iodatum.

Jodschwefel.

R. **Sulfuris depurati** *partem unam,* . . . . 1.
Iodi *partes quatuor.* . . . . 4.

Conterendo mixtae et in cucurbitam vitream ingestae leni igne calefiant, donec liquatae in massam aequabilem coïerint, quae refrigerata terendo in pulverem redigatur.

Sit e nigro cinereum, nitoris metallici, accensum plane avolans.

In vase bene clauso **caute** servetur.

Sulfur praecipitatum.

Schwefelmilch.

Lac Sulphuris.

Pulvis subtilissimus e flavescente albus, odoris fere expers, inter digitos non stridens, accensus residui pauxillum tantum relinquens.

Chartam exploratoriam caeruleam humefactam ne rubefaciat; cum aqua aut acido hydrochlorico aut liquore ammonii caustici digestum praebeat filtratum, quod evaporatum residui nihil relinquat.

In vase bene clauso servetur.

Sulfur sublimatum.

Schwefelblumen.

Flores Sulphuris.

Cave ne selenio neve arsenio sit nimis inquinatum. Liquore ammonii caustici superfusum praebeat digerendo filtratum, quod acido hydrochlorico praevalente admixto ne vel parce tantum turbetur.

Summitates Sabinae.

Sadebaumspitzen.

Herba Sabinae.

Sabina officinalis *Garcke.*

Ramuli coarctati; foliis brevissimis, rigidis, in dorso glandula impressa instructis, junioribus quadrifariam imbricatis, rhombeis, paullum obtusis, adultioribus plus minusve remotis, patulis, acutis; odoris gravis ingrati, diu haerentis, saporis nauseosi resinosi amari. Ne confundantur cum ramulis Sabinae Virginianae *Berg* magis patulis, odorem minorem spirantibus.

Caute ne ultra annum unum serventur.

Frutex Europae australis, apud nos cultus, a quo mensibus Aprili et Majo summitates ramorum colligere licet.

Syrupi.

Syrupe.

Parentur, nisi qua alia ratio praescripta est, ita ut **saccharum optimum** in liquore limpido, calore adhibito, solvatur et solutum **semel** ebulliat.

Syrupi colati et perfecte refrigerati in vasis plane exsiccatis et bene obturatis loco frigido serventur.

Sint omnes syropo Amygdalarum excepto limpidi, ne sedimenta demittant neve fermentescant.

Syrupus Althaeae.

Eibischsaft.

R. **Radicis Althaeae** concisae *partem unam.* . . . . 1.
Aqua destillata frigida ablutae affunde
Aquae destillatae frigidae *partes viginti,* . . . . 20.
et macera per horas duas, tum expressione non adhibita per textum laneum fundendo cola. In colaturae *partibus quindecim* . . . . 15.
solvantur
Sacchari optimi *partes viginti quatuor,* . . . . . 24.
ut fiat syrupus.

Sit limpidus, coloris paullum flavescentis.

Syrupus Amygdalarum.

Mandelsyrup.

Syrupus emulsivus.

R. **Amygdalarum dulcium excorticatarum** *partes quatuor,* . . . . 4.
Amygdalarum amararum excorticatarum *partem unam.* . . . . 1.
Contundendo cum pauxillo aquae in pultem tenerrimam redactis paullatim admisce
Aquae destillatae *partes undecim,* . . . . 11.
Aquae Florum Aurantii *partem unam,* . . . . . 1.
tum fortiter exprime, per pannum laneum cola et in colaturae *partibus undecim* . . . . 11.
solve calore lenissimo
Sacchari optimi pulverati *partes viginti.* . . . . 20.

Sit turbidus, albidus.

Syrupus Aurantii Corticis.

Pomeranzenschalensyrup.

R. **Corticis Aurantii** concisi *partes duas*. . . . . . . 2.
Superfusas
Vini generosi albi *partibus quatuordecim* . . . . 14.
per dies duos vase clauso macera, tum exprime et filtra. In liquoris filtrati *partibus undecim* . . . . . 11.
Sacchari optimi *partes duodeviginti* . . . . 18.
solvantur, ut fiat syrupus.

Sit coloris e subflavo fusci.

Syrupus Aurantii Florum.

Pomeranzenblüthensyrup.

Loco Syrupi Capillorum Veneris.

R. **Sacchari optimi** *partes novem*, ... 9.
quae solvantur
Aquae Florum Aurantii *partibus quinque*, ... 5.
ut fiat syrupus.

Sit coloris expers.

Syrupus Balsami Peruviani.

Perubalsamsyrup.

Syrupus balsamicus.

R. **Balsami Peruviani** *partem unam*. . . . . 1.
Superfunde
Aquae destillatae *partes undecim* . . . . 11.
et digere saepius agitando vase clauso per aliquot horas. Post refrigerationem in liquoris decanthati et filtrati *partibus decem* . . . . 10.

solvantur

Sacchari optimi *partes duodeviginti*. . . . . 18.

ut fiat syrupus.

Sit coloris subflavi.

Syrupus Cerasi.

Kirschsyrup.

R. **Cerasorum acidorum ex atro purpureorum recentium** *quantum placet.*

Cum nucleis contusa stent per triduum, tum succum exprime, qui seponatur, donec fervore peracto limpidus effectus fuerit.

In hujus succi filtrati *partibus quinque* . . . . 5.

solve

Sacchari optimi *partes novem*, ... 9.

ut fiat syrupus.

Sit coloris ex atro purpurei.

Syrupus Chamomillae.

Kamillensyrup.

R. **Florum Chamomillae vulgaris** *partes tres*. . . . 3.

Superfunde

Aquae destillatae ebullientis *partes quindecim*. . 15.

Sepone vase clauso per aliquot horas, tum in colaturae filtratae *partibus decem* . . . . 10.

solve

Sacchari optimi *partes duodeviginti*, ... 18.

ut fiat syrupus.

Sit coloris e subflavo fusci.

Syrupus Cinnamomi.

Zimmtsyrup.

R. **Corticis Cinnamomi Cassiae** grosso modo contusi *partes duas,* . . . . 2.
Aquae Cinnamomi spirituosae *partes duodecim,* 12.
Aquae Rosae *partes duas.* . . . . 2.

Digerantur in vase clauso per biduum et filtrentur.

In liquoris filtrati *partibus undecim* . . . . 11.
solve
Sacchari optimi *partes duodeviginti,* . . . . 18.
ut fiat syrupus.

Sit coloris e rubente fusci.

Syrupus Croci.

Safransyrup.

R. **Croci** *partem unam.* . . . . 1.
Vini generosi albi *partibus viginti quatuor* . . . 24.
superfusam macera vase clauso per horas triginta sex. In colaturae *partibus viginti duabus* . . . . . . 22.
Sacchari optimi *partes triginta sex* . . . . 36.
solvantur, ut fiat syrupus.

Sit coloris crocei.

Syrupus Ferri iodati.

R. **Ferri pulverati** *partes duas.* . . . . 2.
Immissis in vas satis amplum, in quo sint
Aquae destillatae *partes triginta,* . . . . 30.
paullatim adde
Iodi *partes quatuor.* . . . . 4.

Solutio vas paullum agitando, si necesse est, leniter calefaciendo efficiatur. Tum liquorem filtra in patinam porcellaneam,

Sacchari optimi pulverati *partes sexaginta* . . 60.

continentem, filtrum cum ferro non soluto aqua destillata bene abluendo. Calore lenissimo saccharum solvatur, tum liquor in balneo vaporis evaporet, donec *partes centum* . . . . 100.
supersint.

Syrupus sit recens coloris fere expers, postremo subflavus et contineat *partes quinque* ferri iodati in *centum partibus*.

In vase parvo optime clauso, in quod frustum fili ferrei mundati immissum est, loco aprico servetur.

Syrupus Ferri oxydati solubilis.

Eisensyrup.

Massa, quae in paratione **ferri oxydati saccharati solubilis** miscendo praecipitatum adhuc humidum cum saccharo exhibetur, in balneo vaporis, aquam evaporatione deminutam restituendo, per horas duas digeratur, tum post refrigerationem

Syrupi simplicis *ea quantitas*

admisceatur, ut *partes trecentae* . . . . 300.
expleantur.

Sit limpidus, coloris saturate badii, saporis dulcis, paullum ferruginei. Cum aquae partibus quinque mixtus sedimentum ne demittat. *Centum partes* contineant ferri metallici *partem unam*.

Syrupus Foeniculi.

Fenchelsaft.

R. **Fructuum Foeniculi** contusorum *partes duas.* . 2.
Superfusas
Aquae destillatae ebullientis *partibus duodecim* 12.
digere vase clauso per tres horas. In colaturae filtratae *partibus decem* . . . . 10.
Sacchari optimi *partes duodeviginti* . . . . 18.
solvantur, ut fiat syrupus.

Sit coloris e fusco flavi.

Syrupus gummosus.

Gummisyrup.

R. **Mucilaginis Gummi Arabici** *partem unam,* . . . 1.
Syrupi simplicis *partes tres.* . . . . 3.
Misce.

Sit coloris fere plane expers.

Syrupus Ipecacuanhae.

Ipecacuanhasyrup.

R. **Radicis Ipecacuanhae contusae** *partem unam.* . 1.
Superfusam
Spiritus diluti *partibus quinque,* . . . . 5.
Aquae destillatae *partibus triginta sex* . . . . . 36.
digere vase clauso per horas viginti quatuor. In colaturae filtratae *partibus quadraginta* . . . . 40.

Sacchari optimi *partes sexaginta sex* . . . . . . 66.
solvantur, ut fiat syrupus.

Sit coloris subflavi. Partes centum respondent parti uni radicis Ipecacuanhae.

Syrupus Liquiritiae.

Syrupus Glycyrrhizae.

R. **Radicis Liquiritiae mundatae** concisae *partes quatuor*, ... 4.
Aquae communis *partes duodeviginti.* . . . . . . 18.

Macera per unam noctem. Liquor expressus et colatus semel ebulliat, tum in balneo vaporis evaporet, ita ut post refrigerationem et filtrationem supersint *partes septem*, ... 7.
in quibus solvantur
Sacchari optimi, ... 12.
Mellis depurati, singulorum *partes duodecim.* . 12.

Sit coloris e flavo fusci.

Syrupus Mannae.

Mannasyrup.

R. **Mannae communis** *partes tres.* . . . . 3.
Solve in
Aquae destillatae *partibus duodecim.* . . . . . . 12.
Colaturae filtratae addantur
Sacchari optimi *partes sedecim.* . . . . 16.
Ebulliant, ut fiat syrupus.

Sit coloris subflavi.

Syrupus Menthae crispae.

Krauseminzsyrup.

Paretur e **Foliis Menthae crispae** uti **Syrupus Chamomillae.**

Sit coloris e subviridi fusci.

Syrupus Menthae piperitae.

Pfefferminzsyrup.

Paretur e **Foliis Menthae piperitae** uti **Syrupus Chamomillae.**

Sit coloris e subviridi fusci.

Syrupus opiatus.

Opiumsyrup.

R. **Extracti Opii** *partem unam.* . . . . 1.
In vini generosi albi parva copia solutam misce cum
Syrupi simplicis *partibus mille.* . . . . 1000.

Syrupus Papaveris.

Beruhigungssaft.

Syrupus Capitum Papaveris. Syrupus Diacodii.

R. **Fructuum Papaveris** concisorum, a seminibus liberatorum, ... 3.
Fructuum Ceratoniae concisorum, singulorum *partes tres,* . . . . 3.

Radicis Liquiritiae mundatae concisae *partes duas*. **2.**
Superfusas
Aquae communis fervidae *partibus quinquaginta* **50.**
digere in balneo vaporis per horas duas, tum exprime. Colatura in balneo vaporis eo usque evaporet, ut post filtrationem *partes quindecim* . . . . . **15.**
supersint, in quibus
Sacchari optimi *partes viginti quinque* . . . . . **25.**
solvantur.

Sit syrupus e flavo fuscus.

Syrupus Rhamni catharticae.

Kreuzdornbeerensyrup.

Syrupus Spinae cervinae. Syrupus domesticus.

Paretur e **Fructibus Rhamni catharticae** recentibus uti **Syrupus Cerasi.**

Sit coloris violacei.

Syrupus Rhei.

Rhabarbersaft.

R. **Radicis Rhei** concisae *partes duodecim*, ... **12.**
Corticis Cinnamomi Cassiae contusi *partes tres*, **3.**
Kali carbonici puri *partem unam*, ... **1.**
Aquae destillatae *partes centum*. . . . . **100.**

Macerentur per noctem unam. In liquoris colati et filtrati *partibus octoginta* . . . . **80.**
solve
Sacchari optimi *partes centum quadraginta quatuor*. . . . . **144.**

Sit coloris e fusco rubri.

Syrupus Rhoeados.

Klatschrosensaft.

R. **Florum Rhoeados recentium** *partes duodecim.* . **12.**
Superfusas
Aquae communis fervidae *partibus viginti.* . . . **20.**
macera per noctem unam, tum exprime sine expressione et cola.
In colaturae *partibus viginti* . . . . **20.**
Sacchari optimi *partes triginta sex* . . . . **36.**
solvantur, ut fiat syrupus.

Sit coloris ruberrimi.

Syrupus Rubi Idaei.

Himbeersyrup.

Succus Rubi Idaei e **Fructibus Rubi Idaei recentibus** contritis eodem modo paretur, quo **Succus Cerasorum.**

In hujus succi *partibus quinque* . . . . 5.
Sacchari optimi *partes novem* . . . . 9.
solvantur, ut fiat syrupus.

Sit coloris rubri. Color ruber syrupi admixto acidi nitrici volumine dimidio ne in flavum vertatur.

Syrupus Sarsaparillae compositus.

Zusammengesetzter Sassaparillsyrup.

R. **Radicis Sarsaparillae** concisae *partes viginti quatuor,* . . . . **24.**
Ligni Guajaci raspati, ... **16.**

Ligni Sassafras concisi, ... 16.
Rhizomatis Chinae concisi, singulorum *partes sedecim*, ... 16.
Corticis Chinae fusci contusi *partes octo*, . . . 8.
Fructuum Anisi contusorum *partes tres*. . . . 3.
Superfusae
Aquae communis fervidae *partibus ducentis quinquaginta* . . . . 250.
stent inter lenem digestionem per aliquot horas, tum exprimantur. Colatura filtrata evaporet in balneo vaporis ad remanentes *partes octoginta*, . . 80.
in quibus solvantur
Sacchari optimi *partes centum et triginta*, . . 130.
ut fiat syrupus.
Sit coloris fusci.

Syrupus Senegae.

Senegasyrup.

R. **Radicis Senegae concisae** *partes duas*. . . . . . 2.
Superfusas
Aquae destillatae *partibus viginti duabus*, ... 22.
Spiritus *partibus tribus* . . . . 3.
macera per biduum, tum exprime et filtra.
In liquoris filtrati *partibus viginti duabus* . . . . . 22.
solvantur
Sacchari optimi *partes triginta sex*, ... 36.
ut fiat syrupus.
Sit coloris subflavi.

Syrupus Sennae cum Manna.

R. **Foliorum Sennae** concisorum *partes decem*, . . 10.
Fructuum Foeniculi contusorum *partem unam.* 1.
Superfusae
Aquae communis fervidae *partibus quinquaginta* 50.
stent per aliquot horas, interdum agitatae, tum exprimantur. Liquor solutis
Mannae communis *partibus quindecim* . . . . . . 15.
coletur. In colaturae sedimentando depuratae *partibus quinquaginta quinque* . . . . 55.
Sacchari optimi *partes quinquaginta* . . . . . . 50.
solvantur, ut fiat syrupus.

Sit coloris fusci.

Syrupus simplex.

Weisser Syrup.

Syrupus Sacchari. Syrupus albus.

R. **Sacchari optimi** *partes duodeviginti*. . . . . 18.
Solve in
Aquae destillatae *partibus decem*, ... 10.
ut fiat syrupus.

Sit coloris expers.

Syrupus Succi Citri.

Citronensaftsyrup.

R. **Fructuum Citri** *quantum placet.*
Exprime et in succi expressi defaecati et filtrati *partibus decem* . . . . 10.
Sacchari optimi *partes duodeviginti* . . . . 18.
solve, ut fiat syrupus.

Sit coloris subflavi.

Tartarus boraxatus.

Boraxweinstein.

Kali tartaricum boraxatum. Cremor Tartari solubilis.

R. **Boracis** *partes duas* . . . . 2.
In vas porcellaneum immissis et solutis in
Aquae destillatae *partibus viginti* . . . . 20.
addantur
Tartari depurati pulverati *partes quinque* . . . . 5.
Stent in balneo vaporis et saepius agitentur, donec tartarus solutus fuerit. Liquor filtratus in balneo vaporis evaporando in massam tenacem, post refrigerationem friabilem redigatur, quae in taenias extenuata leni calore exsiccetur, tum in pulverem redacta statim in vas calefactum immittatur, quod bene claudendum est.

Sit pulvis albus, in aëre facile humescens, saporis acidi, in aquae pari pondere solubilis.

In aqua solutus ne aqua hydrosulfurata neve liquore ammonii sulfurati mutetur.

Tartarus depuratus.

Weinstein.

Kali bitartaricum purum. Cremor Tartari. Crystalli Tartari.

Crystalli albae durae, formae irregularis, vel pulvis crystallinus albus, saporis aciduli, in aquae frigidae partibus centum et octoginta, in aquae fervidae partibus duodeviginti ad viginti solubilis, in spiritu non solubilis. Liquore kali carbonici inter effervescentiam, nec non liquore kali caustici diluto plane solvitur.

Aqua hydrosulfurata superfusus ne colore tingatur. Solutus in aqua cum acido nitrico paullo mixta baryo chlorato minime, argento nitrico paullulum modo turbetur. In liquore ammonii caustici solutus ne ammonio sulfurato mutetur, neve ammonio oxalico addito praecipitatum demittat.

Tartarus ferratus.

Eisenweinstein.

Ferro-Kali tartaricum. Loco Globulorum martialium.

R. **Ferri limati** *partem unam,* . . . . 1.

Tartari depurati venalis pulverati *partes quinque.* 5.

Mixtas in vase figulino **aqua communi** addita in pultem redige, quam saepius agitando et aquae, quantum evaporaverit, addendo tamdiu digere, donec massa homogenea nigra exhibita fuerit et portiuncula ejus exemta in aqua maxima ex parte soluta hanc aquam e viridi nigram tingat. Tum massa loco tepido siccata in pulverem redigatur.

Sit pulvis coloris sordide subviridis, decursu temporis fuscescentis, accensus odorem proprium spargens et remanente residuo reactionis valde alkalinae deflagrans. In aquae frigidae partibus sedecim maxima ex parte colore e subnigro viridi solubilis.

Tartarus natronatus.

Seignettesalz.

Natro - Kali tartaricum. Sal polychrestum Seignetti.

Crystalli majores pellucidae, rhombicae, columellares, in aquae frigidae sesqui parte, in aquae fervidae triente partis unius solubiles.

In aqua solutus ne aqua hydrosulfurata neve ammonio sulfurato neve ammonio oxalico mutetur; paullo acidi nitrici admixto baryo chlorato minime, argento nitrico paullum modo turbetur.

Tartarus stibiatus.

Brechweinstein.

Tartarus emeticus. Stibio - Kali tartaricum.

Pulvis crystallinus albissimus, saporis paullum dulcis nauseosi metallici, accensus carbonescens, in aquae frigidae partibus quindecim, in aquae fervidae partibus duabus solubilis, in spiritu non solubilis, chartam exploratoriam caeruleam paullum modo rubefaciens.

Aqua solutus admixta acidi tartarici parva copia ne baryo chlorato neve argento nitrico neve ammonio oxalico turbetur, aut acido acetico admixto neve kalio ferrocyanato mutetur. In acido hydrochlorico solutus stanni chlorati parva copia addita inter calefaciendum ne fuscetur.

Caute servetur.

Terebinthina.

Terpenthin.

Terebinthina communis.

Pinus Pinaster *Aiton* et aliae species Pini generis.

Balsamum consistentiae plus minusve spissae, subgranulosum, tenax, lentum, opacum, coloris subflavi vel albidi aut e flavo subfusci; odoris peculiaris gravis, saporis amari.

Terebinthina laricina.

Lärchenterpenthin.

Terebinthina Laricis. Terebinthina Veneta.

Larix decidua *Miller*.

Balsamum plerumque limpidum, interdum subturbidum, tenax, aequabile, consistentiae spissioris, coloris subflavi aut e subviridi flavi, odoris balsamici, saporis amari.

Tincturae.

Tincturae, si non alia ratio praescripta est, eo modo parentur, ut species aut grosso modo pulveratae aut minutim concisae liquore ad extractionem adhibendo superfusae in lagena ex parte tantum replenda loco umbroso per dies octo, aliquoties per diem agitando, secundum praescriptum macerentur aut digerantur.

Maceratio fiat in vasis bene clausis calore 15 ad 20°, digestio in vasis ad dimidium modo repletis, ope vesicae acu perforatae clausis, calore 35 ad 40°.

Maceratione aut digestione peracta liquor refrigeratus decanthetur, residuum — si necesse est, ope preli — exprimatur, et postquam liquor per viginti quatuor horas eo loco sepositus est, quo tincturae asservari solent, ibidem infundibulo lamina vitrea obtecto filtretur. Liquorem in paratione tincturae forsan evaporatione consumtum restituere non licet.

Tincturae sint limpidae, a sedimento liberae, odoris peculiaris earum substantiarum, e quibus paratae sunt. Serventur in vasis bene clausis loco umbroso, cujus temperies prope ad 15° accedit.

Tinctura Absinthii.

Wermuthtinktur.

R. **Herbae Absinthii** *partem unam,* . . . . 1.
Spiritus diluti *partes quinque.* . . . . 5.

Digestione tinctura paretur.

Sit coloris e fusco viridis.

Tinctura Aconiti.

Eisenhuttinktur.

R. **Tuberum Aconiti** contusorum *partem unam,* . 1.
Spiritus diluti *partes decem.* . . . . 10.

Digestione tinctura paretur.

Sit coloris e flavo fusci.

Caute servetur.

Tinctura Aloës.

Aloëtinktur.

R. **Aloës** *partem unam,* . . . . 1.
Spiritus *partes quinque.* . . . . 5.

Digestione tinctura paretur.
Sit coloris e nigro fusci.

Tinctura Aloës composita.

Zusammengesetzte Aloëtinktur.

Loco Elixirii ad longam vitam.

R. **Aloës** *partes novem,* . . . . 9.
Radicis Gentianae, ... 1.
Radicis Rhei, ... 1.
Rhizomatis Zedoariae, ... 1.
Croci, ... 1.
Fungi Laricis, singulorum *partem unam.* . . . 1.

E contusis et concisis,
Spiritus diluti *partibus ducentis* . . . . 200.
superfusis digestione tinctura paretur.
Sit coloris e rubro fusci.

Tinctura amara.

Bittere Tinktur.

R. **Fructuum Aurantii immaturorum,** . . . . 2.
Herbae Centaurii, ... 2.
Radicis Gentianae, singulorum *partes duas,* . . 2.
Rhizomatis Zedoariae *partem unam.* . . . . . . 1.

E concisis,

Spiritus diluti *partibus triginta quinque* . . . . . 35.

superfusis digestione tinctura paretur.

Sit coloris fusci, paullum subviridis.

Tinctura Arnicae.

Arnikatinktur.

Paretur e **Floribus Arnicae** uti **Tinctura Aconiti.**

Sit coloris e subfusco flavi.

Tinctura aromatica.

Aromatische Tinktur.

R. **Corticis Cinnamomi Cassiae grosso modo pulverati** *partes quatuor,* . . . . 4.
Fructuum Cardamomi minorum, ... 1.
Caryophyllorum, ... 1.
Rhizomatis Galangae, ... 1.
Rhizomatis Zingiberis, singulorum **grosso modo pulveratorum** *partem unam*, ... 1.
Spiritus diluti *partes quinquaginta*. . . . . 50.

Digestione tinctura paretur.

Sit coloris e fusco rubri.

Tinctura aromatica acida.

Saure aromatische Tinktur.

Loco Elixirii Vitrioli Mynsichti.

Paretur uti **Tinctura aromatica**, nisi quod

Spiritus diluti *partibus quinquaginta* . . . . . . 50.

ante digestionem addantur

Acidi sulfurici *partes duae*. . . . . 2.

Sit coloris e fusco rubri.

Tinctura Asae foetidae.

Stinkasanttinktur.

Paretur ex **Asa foetida** uti **Tinctura Aloës**.

Sit coloris e subflavo rufi.

Tinctura Aurantii Corticis.

Pomeranzenschalentinktur.

Paretur e **Cortice Fructus Aurantii** uti **Tinctura Absinthii.**

Sit coloris subfusci.

Tinctura Belladonnae.

Belladonnatinktur.

R. **Foliorum Belladonnae recentium cum ramulis florescentibus** *partes quinque*. . . . . . . 5.

In mortario lapideo contusae superfundantur

Spiritus *partibus sex*, ... 6.

et maceratione tinctura paretur.

Sit coloris e fusco viridis.

Caute servetur.

Tinctura Benzoës.

Benzoëtinktur.

Paretur e **Benzoë** uti **Tinctura Aloës.**

Sit coloris e subflavo rufi.

Tinctura Calami.

Kalmustinktur.

Paretur maceratione e **Rhizomate Calami** uti **Tinctura Absinthii.**

Sit coloris e subfusco flavi.

Tinctura Cannabis Indicae.

Indischhanftinktur.

R. **Extracti Cannabis Indicae** *partem unam* . . . . **1.**
Solve in
Spiritus *partibus undeviginti* . . . . **19.**
et filtra.

Sit coloris subviridis.

Caute servetur.

Tinctura Cantharidum.

Spanischfliegentinktur.

R. **Cantharidum grosso modo pulveratarum** *partem unam*, ... **1.**
Spiritus *partes decem*. . . . . **10.**
Maceratione tinctura paretur.

Sit coloris e flavo viridis.

Caute servetur.

Tinctura Capsici.

Spanischpfeffertinktur.

Paretur ex **Fructibus Capsici** minutim concisis uti **Tinctura Cantharidum.**

Sit coloris e subfusco aurantiaci.

Tinctura Cascarillae.

Kaskarilltinktur.

Paretur e **Cortice Cascarillae** uti **Tinctura Absinthii.**

Sit coloris e rubro fusci.

Tinctura Castorei Canadensis.

Tinktur aus Canadischem Bibergeil.

Paretur e **Castoreo Canadensi** uti **Tinctura Cantharidum.**

Sit coloris saturate fusci.

Tinctura Castorei Sibirici.

Tinktur aus Sibirischem Bibergeil.

Paretur e **Castoreo Sibirico** uti **Tinctura Cantharidum.**

Sit coloris e rufo fusci.

Tinctura Catechu.

Katechutinktur.

Paretur e **Catechu** uti **Tinctura Absinthii.**

Sit coloris saturate fusci.

Tinctura Chinae.

Chinatinktur.

Paretur e **Cortice Chinae fusco** uti **Tinctura Absinthii.** Sit coloris e rubro fusci.

Tinctura Chinae composita.

Zusammengesetzte Chinatinktur.

Elixir roborans Whyttii.

R.	**Corticis Chinae fusci** *partes sex,*	6.
	Corticis Fructus Aurantii, ...	2.
	Radicis Gentianae, singulorum *partes duas,* . .	2.
	Corticis Cinnamomi Cassiae *partem unam.* . .	1.

E contusis et concisis,

Spiritus diluti *partibus quinquaginta*	50.

affusis, digestione tinctura paretur.

Sit coloris e rubro fusci.

Tinctura Chinoidini.

Chinoidintinktur.

R.	**Chinoidini** *partes duas.*	2.

Solve in

Spiritus *partibus septendecim,*	17.
Acidi hydrochlorici *parte una*	1.

et filtra.

Sit coloris fusci.

Tinctura Cinnamomi.

Zimmttinktur.

Paretur e **Cortice Cinnamomi Cassiae** uti **Tinctura Absinthii.**

Sit coloris e rubro fusci.

Tinctura Colchici.

Zeitlosentinktur.

Tinctura Seminis Colchici.

Paretur e **Semine Colchici** optime **contuso** uti **Tinctura Aconiti.**

Sit coloris flavi.

Caute servetur.

Tinctura Colocynthidis.

Koloquintentinktur.

Paretur e **Fructibus Colocynthidis** a seminibus liberatis uti **Tinctura Cantharidum.**

Sit coloris flavi.

Caute servetur.

Tinctura Croci.

Safrantinktur.

Paretur maceratione e **Croco** uti **Tinctura Aconiti.**

Sit coloris saturate aurantiaci.

Tinctura Digitalis.

Fingerhuttinktur.

Paretur e **Foliis Digitalis recentibus** uti **Tinctura Belladonnae.**

Sit coloris e fusco viridis.

Caute servetur.

Tinctura Digitalis aetherea.

Aetherische Fingerhuttinktur.

R. **Foliorum Digitalis** *partem unam,* . . . . 1.
Spiritus aetherei *partes decem.* . . . . 10.

Maceratione tinctura paretur.

Sit coloris saturate viridis.

Caute servetur.

Tinctura Euphorbii.

Euphorbiumtinktur.

Paretur digestione ex **Euphorbio** uti **Tinctura Cantharidum.**

Sit coloris e rubro flavi.

Caute servetur.

Tinctura Ferri acetici aetherea.

Aetherische essigsaure Eisentinktur.

R. **Liquoris Ferri acetici** *partes novem,* . . . . 9.
Spiritus *partes duas,* . . . . 2.

Aetheris acetici *partem unam.* . . . . 1.
Misceantur.
Sit coloris fusci.
Tincturae *partes centum* contineant ferri *partes sex.*

Tinctura Ferri chlorati.

Chloreisentinktur.

R. **Ferri chlorati recens parati** *partes viginti quinque.* **25.**
Solutis in
Spiritus diluti *partibus ducentis et viginti quinque* **225.**
admisce
Acidi hydrochlorici *partem unam,* . . . . **1.**
tum filtra.

Sit limpida, coloris e subflavo viridis. In lagenis minoribus bene clausis servetur.

Tinctura Ferri chlorati aetherea.

Spiritus Ferri chlorati aethereus. Liquor anodynus martiatus. Loco Tincturae tonico-nervinae Bestuscheffii.

R. **Liquoris Ferri sesquichlorati** *partem unam,* . . **1.**
Spiritus aetherei *partes quatuordecim.* . . . . . . **14.**

Mixtae in lagenis vitreis cylindricis, bene obturatis solis radiis exponantur, donec color e fusco flavus plane evanuerit; tum loco umbroso seponantur, vasa interdum aperiendo, donec colorem flavescentem vel e fuscescente flavum duxerint.

Sit limpida, coloris flavescentis vel e fuscescente flavi, ferri partem unam in centum partibus continens.

In vasis epistomiis vitreis bene clausis servetur.

Tinctura Ferri pomata.

R. **Extracti Ferri pomati** *partem unam.* . . . . 1.
Solve in
Aquae Cinnamomi spirituosae *partibus novem* . 9.
et filtra.
Sit coloris e fusco nigri.

Tinctura Formicarum.

Ameisentinktur.

R. **Formicarum recens collectarum,** a quisquiliis mundatarum, **contritarum** *partes duas,* . 2.
Spiritus *partes tres.* . . . . 3.
Digestione tinctura paretur.
Sit coloris fusci.

Tinctura Gallarum.

Galläpfeltinktur.

R. **Gallarum grosso modo pulveratarum** *partem unam,* . . . . 1.
Spiritus diluti *partes quinque.* . . . . 5.
Digestione fiat tinctura.
Sit coloris e flavo subfusci.

Tinctura Gentianae.

Enziantinktur.

Paretur e **Radice Gentianae** uti **Tinctura Absinthii.**
Sit coloris e fusco rubri.

Tinctura Guajaci.

Guajaktinktur.

Paretur e **Resina Guajaci** uti **Tinctura Aloës.**

Sit coloris saturate e rubro fusci.

Tinctura Guajaci ammoniata.

Ammoniakalische Guajaktinktur.

R.	**Resinae Guajaci pulveratae** *partes tres,*	**3.**
	Spiritus *partes decem,*	**10.**
	Liquoris Ammonii caustici *partes quinque.* . . .	**5.**

Maceratione tinctura paretur.

Sit coloris e viridi fusci.

Tinctura Hellebori viridis.

Nieswurzeltinktur.

Paretur e **Radice Hellebori viridis** uti **Tinctura Aconiti.**

Sit coloris e flavo fusci.

Caute servetur.

Tinctura Iodi.

Jodtinktur.

R. **Iodi** *partem unam.* . . . . **1.**

Solve in

Spiritus *partibus decem,* . . . . **10.**

tum decantha.

Sit coloris saturate e rubro fusci.

In vase epistomio vitreo munito **caute** servetur.

Tinctura Iodi decolorata.

Farblose Jodtinktur.

R. **Iodi,** . . . . 10.

Natri subsulfurosi, ... 10.

Aquae destillatae, singulorum *partes decem*. . . 10.

Digere leni calore interdum agitando, donec solutio peracta fuerit, tum affunde

Liquoris Ammonii caustici spirituosi *partes sedecim,* . . . . 16.

deinde mixturae per aliquot temporis momenta agitatae adde

Spiritus *partes septuaginta quinque*. . . . . 75.

Sepone loco frigido per dies tres et filtra.

Sit liquor limpidus, coloris expers, odoris proprii, paullulum ammoniacalis, ponderis specifici 0,940 ad 0,945.

Tinctura Ipecacuanhae.

Ipecacuanhatinktur.

Paretur e **Radice Ipecacuanhae** uti **Tinctura Aconiti.**

Sit coloris e subrubro fusci.

Caute servetur.

Tinctura Kino.

Kinotinktur.

R. **Kino pulverati** *partem unam,* . . . . 1.

Spiritus *partes quinque*. . . . . 5.

Maceratione tinctura paretur.

Sit coloris saturate e rubro fusci.

Tinctura Lobeliae.

Lobeliatinktur.

Paretur ex **Herba Lobeliae** uti **Tinctura Aconiti.**

Sit coloris e fusco viridis.

Tinctura Macidis.

Macistinktur.

Paretur e **Macide** uti **Tinctura Aloës.**

Sit coloris e subrubro flavi.

Tinctura Moschi.

Moschustinktur.

R. **Moschi** *partem unam* . . . . 1.
In mortario cum
Aquae destillatae *partibus viginti quinque* . . . . 25.
intime contritae addantur
Spiritus diluti *partes viginti quinque*, ... 25.
tum maceratione tinctura paretur.

Sit coloris e rubente fusci.

Tinctura Myrrhae.

Myrrhentinktur.

Paretur e **Myrrha grosso modo pulverata** uti **Tinctura Aloës.**

Sit coloris e rufo flavi.

Tinctura Opii benzoica.

Benzoësäurehaltige Opiumtinktur.

Elixir paregoricum.

R. **Opii pulverati** *partem unam,* . . . . 1.
Acidi benzoici *partes quatuor,* . . . . 4.
Camphorae, ... 2.
Olei Anisi, singulorum *partes duas,* . . . . . . 2.
Spiritus diluti *partes centum nonaginta duas.* . 192.

Digestione tinctura paretur.

Sit coloris flavi, paullum fusci.

Caute servetur.

Nota. Tincturae *partes ducentae* . . . . 200.
continent, quantum ex *una parte* Opii pulverati solvi potest . . . . 1.

Tinctura Opii crocata.

Safranhaltige Opiumtinktur.

Laudanum liquidum Sydenhami.

R. **Opii pulverati** *partes sedecim,* . . . . 16.
Croci *partes sex,* . . . . 6.
Caryophyllorum, ... 1.
Corticis Cinnamomi Cassiae, singulorum **pulveratorum** *partem unam,* . . . . 1.
Vini Xerensis *partes centum quinquaginta duas.* 152.

Digestione tinctura paretur.

Sit coloris e croceo saturate fusci, ponderis specifici 1,018 ad 1,022.

Caute servetur.

Nota. Tincturae *partes decem.* . . . . 10.
continent, quantum ex *una parte* Opii pulverati solvi potest. . . . . 1.

Tinctura Opii simplex.

Einfache Opiumtinktur.

Tinctura Thebaica. Tinctura Meconii.

R. **Opii pulverati** *partes quatuor,* . . . . 4.
Spiritus diluti, ... 19.
Aquae destillatae, singulorum *partes undeviginti.* 19.

Digestione tinctura paretur.

Sit coloris saturate e rubro fusci, ponderis specifici 0,978 ad 0,982.

Caute servetur.

Nota. Tincturae *partes decem* . . . . 10.
continent, quantum ex *una parte* Opii pulverati solvi potest. . . . . 1.

Tinctura Pimpinellae.

Pimpinelltinktur.

Paretur e **Radice Pimpinellae** uti **Tinctura Absinthii.**
Sit coloris e subfusco flavi.

Tinctura Pini composita.

Holztinktur.

Tinctura Lignorum.

R. **Turionum Pini** concisorum *partes tres,* . . . . . 3.
Ligni Guajaci raspati *partes duas,* . . . . 2.
Ligni Sassafras raspati, ... 1.
Fructuum Juniperi contusorum, singulorum *partem unam,* . . . . 1.
Spiritus diluti *partes triginta sex.* . . . . 36.

Digestione tinctura paretur.

Sit coloris fusci.

Tinctura Ratanhae.

Ratanhatinktur.

Paretur e **Radice Ratanhae** uti **Tinctura Absinthii.**
Sit coloris saturate e rubro fusci.

Tinctura Resinae Jalapae.

Jalapenharztinktur.

Paretur e **Resina Jalapae** uti **Tinctura Cantharidum.**
Sit coloris subfusci.
Caute servetur.

Tinctura Rhei aquosa.

Wässrige Rhabarbertinktur.

R.	**Radicis Rhei** concisae *partes centum*, ...	100.
	Boracis pulveratae, ...	10.
	Kali carbonici puri, singulorum *partes decem.*	10.

Superfusas

Aquae destillatae ebullientis *partibus octingentis quinquaginta*	850.

sepone per horae quadrantem, tum admisce

Spiritus *partes centum*, ...	100.

et denuo sepone per quinque horae quadrantes.
Deinde colaturae leni expressione collectae adde

Aquae Cinnamomi *partes centum quinquaginta.*	150.

Sit limpida, coloris e rubro fusci, odoris Rhei.

Tinctura Rhei vinosa.

Weinige Rhabarbertinktur.

Loco Tincturae Rhei Darelii.

R. **Radicis Rhei** minutim concisae *partes octo,* . 8.
Corticis Fructus Aurantii concisi *partes duas,* 2.
Fructuum Cardamomi minorum pulveratorum *partem unam,* . . . . 1.
Vini Xerensis *partes centum.* . . . . 100.

Digestione tinctura paretur, in qua filtrata
Sacchari optimi pulverati *partes duodecim* . . 12.
solvantur.

Sit coloris e flavo fusci.

Tinctura Scillae.

Meerzwiebeltinktur.

Paretur e **Bulbo Scillae** siccato uti **Tinctura Absinthii.**
Sit coloris flavi.

Tinctura Scillae kalina.

Kalihaltige Meerzwiebeltinktur.

R. **Bulbi Scillae** siccati *partes octo,* . . . . 8.
Kali caustici fusi *partem unam,* . . . . 1.
Spiritus diluti *partes quinquaginta.* . . . . 50.

Maceratione tinctura paretur.

Sit coloris subfusci.

Tinctura Secalis cornuti.

Mutterkorntinktur.

Paretur e **Secali cornuto pulverato** uti **Tinctura Aconiti.**

Sit coloris e fusco rubri.

Tinctura Spilanthis composita.

Paratinktur.

R. **Herbae Spilanthis oleraceae siccae, grosso modo pulveratae,** . . . . 2.
Radicis Pyrethri grosso modo pulveratae, singularum *partes duas,* . . . . 2.
Spiritus diluti *partes decem.* . . . . 10.

Digestione tinctura paretur.

Sit coloris e viridi fusci.

Tinctura Stramonii.

Stechapfelsamentinktur.

Paretur e **Semine Stramonii grosso modo pulverato** uti **Tinctura Aconiti.**

Sit coloris e subfusco flavi.

Caute servetur.

Tinctura Strychni.

Krähenaugentinktur.

Strychnostinktur.

Paretur e **Semine Strychni** uti **Tinctura Aconiti.**

Sit coloris flavi.

Caute servetur.

Tinctura Strychni aetherea.

Aetherische Krähenaugentinktur.

Aetherische Strychnostinktur.

R. **Seminis Strychni** grosso modo **pulverati** *partem unam,* . . . . **1.**

Spiritus aetherei *partes decem.* . . . . **10.**

Maceratione tinctura paretur.

Sit coloris flavescentis.

Caute servetur.

Tinctura Thujae.

Lebensbaumtinktur.

Tinctura Thujae occidentalis.

Paretur e **Foliis Thujae occidentalis recentibus** uti **Tinctura Belladonnae.**

Sit coloris e subviridi flavi.

Tinctura Toxicodendri.

Giftsumachtinktur.

Paretur e **Foliis Toxicodendri recentibus** uti **Tinctura Belladonnae.**

Sit coloris e flavo viridis.

Caute servetur.

Tinctura Valerianae.

Baldriantinktur.

Paretur e **Radice Valerianae** minutim concisa uti **Tinctura Absinthii.**

Sit coloris fusci.

Tinctura Valerianae aetherea.

Aetherische Baldriantinktur.

R. **Radicis Valerianae grosso modo pulveratae** *partem unam,* . . . . **1.**
Spiritus aetherei *partes quinque.* . . . . **5.**

Macerationc tinctura paretur.

Sit coloris flavi, postremo subfuscescentis.

Tinctura Vanillae.

Vanillentinktur.

Paretur maceratione e **Vanilla** uti **Tinctura Absinthii.**

Sit coloris e rubro fusci.

Tinctura Zingiberis.

Ingwertinktur.

Paretur e **Rhizomate Zingiberis grosso modo pulverato** uti **Tinctura Absinthii.**

Tragacantha.

Traganth.

Gummi Tragacantha.

Astragalus Creticus *Lamark* et aliae species Astragali generis.

Laminae planae, tenues, subrotundae vel spiraliter vel plus minusve tortae, falcate curvatae, striis incrassatis concentricis semicirculis perstrictae, aut frusta tenuia filiformia, plus minusve cochleata, striis incrassatis parvis concentricis perstricta, substantiam corneam, subdiaphanam, tenacem, aegre pulverandam, albam vel e subflavo albidam, odoris expertem exhibentia. Tragacantha in aqua macerata intumescit, cum aqua ebulliente mucilaginem spissam praebet.

Trochisci.

Pastillen.

Ad trochiscos parandos substantiae medicatae tota quantitas adhibenda saccharo spiritu diluto humectato vel massae cacaotinae calore emollitae addatur, tum mixtio bene effecta et phalangae ope dispansa lege

artis in trochiscos dividatur, ut singuli trochisci copiam substantiae medicatae certam contineant. Ea copia sacchari vel massae cacaotinae sumenda est, ut singuli trochisci semper sint grammatis unius ponderis.

Trochisci Ipecacuanhae.

R. **Radicis Ipecacuanhae** contusae *partes duas*. . 2.
Superfusae
Aquae communis fervidae *partibus decem* . . 10.
stent per aliquot horas loco calido, tum colentur. Colatura filtrata misceatur cum tanto
Sacchari optimi pulverati, *quantum sufficit*,
ut fiat massa aequans *partes quadringentas*, ... 400.
ex qua trochisci ponderis *grammatis unius* formentur.

Trochisci singuli, quantum e milligrammatis quinque (0,005) radicis Ipecacuanhae solvi potest, contineant.

Trochisci Magnesiae ustae.

Parentur e **magnesia usta** et **massa cacaotina**, ita ut singuli trochisci magnesiae ustae *decigramma unum* (0,1) contineant.

Trochisci Morphini acetici.

Parentur e **morphino acetico** et **saccharo optimo**, ita ut singuli trochisci morphini acetici *milligrammata quinque* (0,005) contineant.

Trochisci Natri bicarbonici.

R. **Sacchari optimi pulverati** *partes duodeviginti*, . **18.**
Natri bicarbonici pulverati *partes duas*. . . . . **2.**
Misce et ope spiritus fac massam, ex qua formentur trochisci ponderis grammatis unius.

Trochisci Santonini.

Santoninpastillen.

Parentur e santonino et massa cacaotina duplicis generis, ita ut singuli trochisci, alteri santonini *centigrammata quinque* (0,05), alteri *milligrammata viginti quinque* (0,025) contineant, qui trochisci in vasis separatis serventur.

Tubera Aconiti.

Eisenhutknollen.

Aconitum Napellus ***Linn.***

Tubera obconica, superne residuo caulis vel gemma terminata, plerumque gemina cohaerentia, tum aetatis inaequalis, siccata dura, quinque ad octo centimetros longa, superne duos ad tres centimetros crassa, hornotina ponderosa, compacta, intus albida, annotina levia, intus subfusca, non raro excavata; utrumque tuber extrinsecus fuscum, sulcatum, radicibus abscissis paullum cicatricatum. In segmento transverso cortex crassus est punctatus et a medulla ampla, stellatim circumscripta circulo ligneo angustissimo coloris intensioris, stellatim quinque- vel octo-radiato, radiis valde porrectis, separatus.

Rejiciantur Aconiti Cammari *Jacquini* tubera, tuberibus Aconiti Napelli minora, circiter duos centimetros longa, superne duodecim millimetros crassa, ligno et medulla irregulariter stellatis, radiis parum porrectis; nec non tubera Aconiti Stoerckiani *Reichenbach*, saepissime plura cohaerentia, magis elongata, ligno et medulla obtuse vel rotundate angulatis nec stellatis instructa.

Colligantur tubera e planta spontanea florente; **caute** serventur.

Tubera Jalapae.

Jalapenknollen.

Radix Jalapae.

Convolvulus Purga *Wenderoth* (Ipomoea Purga *Hayne*).

Tubera vel globosa vel piriformia vel oblonga, variae magnitudinis, integra aut dissecta, compacta, ponderosa, extrinsecus fusca, rugosa, in rugis resina nigricante obducta, intus laete fusca, zonis concentricis numerosis, coloris intensioris, cellulas resiniferas nitidas continentibus notata.

Caute serventur. Contineant minimum resinae *partes decem* in *centum* pulveris *partibus*.

Tubera Salep.

Salep.

Radix Salep.

Orchis Morio *Linn.* et aliae species generis Orchidis.

Tubera irregulariter ovata vel oblonga, rarius palmata, unum ad duos et dimidium centimetros longa, subdia-

phana, soliditate cornea, colore sordide albo vel ex albido subfusco, pulveratà cum aqua mucilaginem praebentia.

Cave ne bulbi Colchici immixti sint.

Turiones Pini.

Fichtensprossen.

Gemmae Pini.

Pinus silvestris *Linn.*

Turiones cylindrici, ad quinque centimetros longi, recentes resina exsudata glutinosi; axe viridi; squamis numerosissimis, densissimis, imbricatis, scariosis, angustis, ferrugineis, singulis rudimentum parvum foliorum geminorum acerosorum vaginis hyalinis inclusum fulcientibus et tegentibus; odoris gravis resinacei balsamici, saporis resinacei subamari.

Colligantur primo vere coelo sereno, cito siccentur et in vasis clausis, ne ultra annum unum serventur.

Unguentum acre.

Scharfe Salbe. Hufsalbe.

R. **Cerae flavae** *partes quindecim*, ... 15.
Colophonii *partes triginta*, ... 30.
Terebinthinae *partes sexaginta*, ... 60.
Adipis suilli *partes ducentas quinquaginta*. . . 250.

Colliquatis admisce

Cantharidum subtiliter pulveratarum *partes quinquaginta*, ... 50.
Euphorbii subtiliter pulverati *partes decem*. . 10.

Sit e viridi fuscum.

Unguentum arsenicale Hellmundi.

Hellmund'sche Arseniksalbe.

R. **Pulveris arsenicalis Cosmi** *partem unam*, ... 1.
Unguenti narcotico-balsamici Hellmundi *partes octo*. . . . . 8.

Exactissime misceantur.

Sit coloris e griseo fusci.

Non nisi ad dispensationem paretur.

Unguentum basilicum.

Königssalbe.

R. **Olei Olivarum communis** *partes sex*, ... 6.
Cerae flavae, ... 2.
Colophonii, ... 2.
Sebi singulorum *partes duas*, ... 2.
Terebinthinae *partem unam*. . . . . 1.

Leni calore liquatae colentur.

Sit coloris e flavo fusci.

Unguentum Belladonnae.

Tollkirschensalbe.

R. **Extracti Belladonnae** *partem unam*, ... 1.
Unguenti cerei *partes novem*. . . . . 9.

Exactissime misceantur.

Non nisi ad dispensationem paretur.

Unguentum Cantharidum.

Spanischfliegensalbe.

Unguentum irritans. Loco Unguentum ad Fonticulos.

R. **Cantharidum contusarum** *partem unam.* . . . . . 1.
Superfusam
Olei Olivarum Provincialis *partibus quatuor* . . 4.
in balneo vaporis per horas duodecim digere. Post refrigerationem exprime, filtra et adde
Cerae flavae *partes duas.* . . . . 2.
Leni calore liquatae sedulo agitentur, donec refrixerint.
Sit unguentum coloris subviridis.

Unguentum cereum.

Wachssalbe.

R. **Olei Olivarum Provincialis** *partes quinque,* . . . 5.
Cerae flavae *partes duas.* . . . . 2.
In balneo vaporis liquatae agitentur, donec refrixerint.
Sit unguentum flavum.

Unguentum Cerussae.

Bleiweisssalbe.

Unguentum Plumbi subcarbonici. Unguentum Plumbi hydrico-carbonici. Unguentum album simplex.

R. **Adipis suilli** *partes duas,* . . . . 2.
Cerussae subtilissime pulveratae *partem unam.* . 1.
Exactissime misceantur.
Sit unguentum albissimum.

Unguentum Cerussae camphoratum.

Bleiweisssalbe mit Kampfer.

R. **Camphorae pulveratae** *partes quinque,* . . . . 5.
Unguenti Cerussae *partes centum.* . . . . 100.

Misce exactissime.

Sit unguentum albissimum.

Unguentum Conii.

Schierlingssalbe.

R. **Extracti Conii** *partem unam,* . . . . 1.
Unguenti cerei *partes novem.* . . . . 9.

Exactissime misceantur.

Non nisi ad dispensationem paretur.

Unguentum diachylon Hebrae.

Hebra'sche Bleisalbe.

R. **Emplastri Lithargyri simplicis,** . . . . 1.
Olei Lini, singulorum *partem unam.* . . . . 1.

Leni calore exacte misceantur.

Non nisi ad dispensationem paretur.

Unguentum Digitalis.

Fingerhutsalbe.

R. **Extracti Digitalis** *partem unam,* . . . . 1.
Unguenti cerei *partes novem.* . . . . 9.

Exactissime misce.

Non nisi ad dispensationem paretur.

Unguentum Elemi.

Elemisalbe.

Balsamum Arcaei.

R. **Elemi,**
Terebinthinae laricinae,
Sebi,
Adipis suilli, singulorum *partes aequales.*

In balneo vaporis liquatae colentur.

Sit unguentum coloris e subviridi cineracei aut subflavi.

Unguentum flavum.

Altheesalbe.

Loco Unguentum Althaeae.

R. **Rhizomatis Curcumae pulverati** *partes decem,* 10.
Adipis suilli *partes quingentas.* . . . . 500.

Digere in balneo vaporis per horam dimidiam, tum adde

Cerae flavae, ... 30.
Resinae Pini, singularum *partes triginta.* . . . 30.

Liquefactae colentur.

Sit unguentum coloris flavi.

Unguentum Glycerini.

Glycerinsalbe.

R. **Amyli Tritici** *partes duas.* . . . . 2.

Contritis cum

Aquae destillatae *parte una* . . . . 1.

addantur

Glycerini *partes decem.* . . . . 10.

In balneo vaporis calefiant, donec in massam diaphanam aequabilem versae fuerint.

Unguentum Hydrargyri cinereum.

Graue Quecksilbersalbe.

Unguentum Neapolitanum.

R. **Hydrargyri depurati** *partes sex,* . . . . 6.

Unguenti Hydrargyri cinerei, quale praesto est, *partem unam.* . . . . 1.

Sedulo conterantur, donec globuli hydrargyri cerni non amplius possint, tum admisce

Sebi *partes quatuor,* . . . . 4.

Adipis suilli *partes octo,* . . . . 8.

antea liquefactas, dein refrigeratas.

Sit unguentum coloris e subcaeruleo cinerei, hydrargyri globulis oculo nudo non distinguendis.

Unguentum Hydrargyri praecipitati albi.

Weisse Quecksilbersalbe.

Unguentum Hydrargyri amidato-bichlorati.

R. **Hydrargyri praecipitati albi** *partem unam,* . . . 1.

Adipis suilli *partes novem.* . . . . 9.

Exactissime misceantur.

Sit unguentum albissimum.

Non nisi ad dispensationem paretur.

Unguentum Hydrargyri rubrum.

Rothe Quecksilbersalbe.

R. **Hydrargyri oxydati rubri** *partem unam.* . . . . 1.
Adipis suilli *partes novem.* . . . . 9.
Misce exactissime.
Sit unguentum rubrum.
Non nisi ad dispensationem paretur.

Unguentum Hyoscyami.

Bilsenkrautsalbe.

R. **Extracti Hyoscyami** *partem unam,* . . . . 1.
Unguenti cerei *partes novem.* . . . . 9.
Exactissime misceantur.
Non nisi ad dispensationem paretur.

Unguentum Kalii iodati.

Jodkaliumsalbe.

R. **Kalii iodati** *partes viginti,* . . . . 20.
Natri subsulfurosi *partem unam.* . . . . 1.
Solve conterendo in
Aquae destillatae *partibus quindecim.* . . . . . 15.
Tum admisce
Adipis suilli *partes centum et sexaginta quinque.* 165.
Sit unguentum albissimum.

Unguentum leniens.

Cold - Cream.

R. **Cerae albae** *partes quatuor,* . . . . 4.
Cetacei *partes quinque,* . . . . 5.
Olei Amygdalarum *partes triginta duas.* . . . . 32.

In balneo vaporis liquatis, tum refrigeratis et assidue agitatis paullatim admisce
Aquae Rosae *partes sedecim.* . . . . 16.

Hujus unguenti *grammatis quinquaginta* admisceatur
Olei Rosae *gutta una.*

Sit unguentum molle et albissimum.

Unguentum Linariae.

Leinkrautsalbe.

R. **Herbae Linariae** concisae *partes duas.* . . . . . 2.

Conspersae
Spiritus *parte una* . . . . 1.

stent per aliquot horas loco calido. Tum adde
Adipis suilli *partes decem* . . . . 10.

et digere in balneo vaporis, donec spiritus sit totus fugatus, deinde exprime et cola.

Sit coloris subviridis.

Unguentum Majoranae.

Meiransalbe.

Paretur ex **Herba Majoranae** uti **Unguentum Linariae.**
Sit coloris viridis.

Unguentum Mezerei.

Seidelbastsalbe.

R. **Extracti Mezerei** *partem unam,* . . . . 1.
Unguenti cerei *partes novem.* . . . . 9.
Exactissime misceantur.
Non nisi ad dispensationem paretur.

Unguentum narcotico-balsamicum Hellmundi.

Hellmund's narkotisch-balsamische Salbe.

R. **Plumbi acetici subtilissime triti** *partes decem,* 10.
Extracti Conii *partes triginta.* . . . . 30.
Exactissime mixtis adde
Unguenti cerei *partes ducentas quadraginta,* . 240.
Balsami Peruviani *partes triginta,* . . . . 30.
Tincturae Opii crocatae *partes quinque.* . . . 5.
Sit unguentum subfuscum.

Unguentum ophthalmicum.

Augensalbe.

R. **Olei Amygdalarum** *partes triginta,* . . . . 30.
Cerae flavae *partes undeviginti.* . . . . 19.
Liquefactis et refrigeratis admisce
Hydrargyri oxydati rubri *partem unam.* . . . . 1.
Sit unguentum rubellum.

Unguentum ophthalmicum compositum.

Zusammengesetzte rothe Augensalbe.

Unguentum ophthalmicum St. Yves.

R. **Adipis suilli** *partes centum quadraginta*, ... 140.
Cerae flavae *partes viginti quatuor*, ... 24.
Hydrargyri oxydati rubri *partes quindecim*, . 15.
Zinci oxydati *partes sex*. . . . . 6.
Mixtis adde
Camphorae *partes quinque* . . . . 5.
Olei Amygdalarum *partibus decem* . . . . 10.
solutas.

Sit unguentum e flavido rubellum.

Unguentum opiatum.

Opiumsalbe.

R. **Extracti Opii**, ... 1.
Aquae destillatae, singulorum *partem unam*. . 1.
Bene contritis exactissime admisceantur
Unguenti cerei *partes duodeviginti*. . . . . 18.

Non nisi ad dispensationem paretur.

Unguentum oxygenatum.

Oxygenirte Salbe.

R. **Adipis suilli** *partes quinquaginta*. . . . . 50.
In vase porcellaneo liquatis addantur
Acidi nitrici *partes tres*, ... 3.
tum inter assiduam agitationem bacilli vitrei ope leni

calore tamdiu calefiant, donec chartam caeruleam exploratoriam non amplius rubefaciant. Deinde in capsulas chartaceas effundantur et refrigeratae in vase clauso serventur.

Sit duritiae cerati, coloris flavescentis, odoris quasi rancidi.

Unguentum Plumbi.

Bleisalbe.

Bleicerat.

R. **Cerae flavae** *partes octo*, ... 8.

Adipis suilli *partes viginti novem.* . . . . 29.

In balneo vaporis liquatis, tum semirefrigeratis paullatim immisce

Liquoris Plumbi subacetici *partes tres.* . . . . 3.

Agitentur, donec refrixerint.

Sit unguentum subflavum.

Unguentum Plumbi tannici.

Gerbsaure Bleisalbe.

Unguentum ad Decubitum.

R. **Corticis Quercus concisi** *partes sedecim.* . . . . 16.

Superfusas

Aquae destillatae *partibus octoginta* . . . . 80.

digere in balneo vaporis per duas horas et cola. Colaturae refrigeratae inter agitationem additis

Liquoris Plumbi subacetici *partibus octo* . . . . 8.

praecipitatum exinde ortum in filtro collige et inter

chartam bibulam leniter exprime, quoad adhuc humidum sit ponderis *partium octo*, ... 8.
quibus exacte immisceantur

Unguenti Glycerini *partes quinque*. . . . . 5.

Servetur loco frigido.

Sit coloris e rubro fusci.

Unguentum Populi.

Pappelsalbe.

Pappelpomade. Unguentum populeum.

R. **Gemmarum Populi recentium contusarum** *partem unam*, ... 1.

Adipis suilli *partes duas*. . . . . 2.

Coque calore modico, donec humidum consumtum fuerit, tum exprime et cola.

Sit unguentum coloris subviridis.

Unguentum rosatum.

Rosensalbe.

R. **Adipis suilli** *partes quinquaginta*, ... 50.

Cerae albae *partes decem*. . . . . 10.

In balneo vaporis liquatis et semirefrigeratis admisce

Aquae Rosae *partes quinque*. . . . . 5.

Sit unguentum albissimum.

Unguentum Rosmarini compositum.

Rosmarinsalbe.

Nervensalbe. Unguentum nervinum.

R. **Adipis suilli** *partes sedecim,* . . . . 16.
Sebi *partes octo,* . . . . 8.
Cerae flavae, ... 2.
Olei Myristicae, singulorum *partes duas.* . . . 2.

In balneo vaporis liquatis et semirefrigeratis admisce
Olei Rosmarini, ... 1.
Olei Juniperi, singulorum *partem unam.* . . . . 1.

Sit unguentum coloris subflavi.

Unguentum Sabinae.

Sadebaumsalbe.

Paretur ex **Extracto Sabinae** uti **Unguentum Belladonnae.**

Non nisi ad dispensationem paretur.

Unguentum sulfuratum compositum.

Zusammengesetzte Schwefelsalbe.

R. **Sulfuris depurati,** . . . . 1.
Zinci sulfurici pulverati singulorum *partem unam,* 1.
Adipis suilli *partes octo.* . . . . 8.

Misce.

Sit unguentum coloris citrini.

Unguentum sulfuratum simplex.

Schwefelsalbe.

R. **Sulfuris depurati** *partem unam*, ... 1.
Adipis suilli *partes duas*. . . . . 2.
Misce.

Non nisi ad dispensationem paretur.

Unguentum Tartari stibiati.

Pockensalbe.

Unguentum stibiatum. Unguentum Stibio-Kali tartarici.

R. **Tartari stibiati** *partes duas*. . . . . 2.
Terendo in pulverem subtilissimum redactae exacte misceantur cum
Adipis suilli *partibus octo*. . . . . 8.

Non nisi ad dispensationem paretur.

Unguentum Terebinthinae.

Terpenthinsalbe.

R. **Terebinthinae**, ... 1.
Cerae flavae, singularum *partem unam*. . . . . . 1.
Leni calore liquatis admisce
Olei Terebinthinae *partem unam*, ... 1.
et agita, donec refrixerint.

Sit unguentum mollius, coloris subflavi.

Unguentum Terebinthinae compositum.

Zusammengesetzte Terpenthinsalbe.

Unguentum digestivum.

R. **Terebinthinae laricinae** *partes triginta duas*, . . 32.
Vitelli Ovorum *partes quatuor*. . . . . 4.

Agitando probe subigantur, dein interantur
Myrrhae pulveratae, ... 1.
Aloës pulveratae, singularum *pars una*, ... 1.
Olei Olivarum Provincialis *partes octo*. . . . . 8.

Sit unguentum molle coloris e fulvo spadicei.

Unguentum Zinci.

Zinksalbe.

R. **Zinci oxydati venalis** *partem unam*, ... 1.
Unguenti rosati *partes novem*. . . . . 9.

Exactissime misceantur.

Sit unguentum albissimum.

Vanilla saccharata.

Vanillenzucker.

R. **Vanillae minutim concisae** *partem unam*, ... 1.
Sacchari optimi *partes novem*. . . . . 9.

Terendo exacte misceantur, ut fiat pulvis ex albo griseus.

In vase clauso servetur.

Veratrinum.

Veratrin.

Pulvis albidus, facile se conglomerans, interdum crystallinus, reactionis alkalinae, saporis acris, haud amari, odoris expers, portiuncula minima sternutamentum vehemens excitans, in aqua et frigida et fervida vix solubilis, in spiritus partibus tribus, nec non in aethere aut in acidis aqua dilutis perfecte solubilis, calore fortiore carbonescens, aestu postremo plane deflagrans. Solutio aquosa acida liquore kali caustici addito praebet praecipitatum album, in abundante copia liquoris kali caustici minime, facile autem in spiritu, aethere vel chloroformio solubile. In solutione spirituosa platinum bichloratum praecipitatum non efficit. Veratrinum acido hydrochlorico concentrato superfusum calore adhibito colore e sanguineo purpureo solvitur; cum acido sulfurico concentrato mixtum colorem primum flavum induit, qui color leni calore in coccineum, postremo in violaceum transit.

Cautissime servetur.

Vinum.

Wein.

Vitis vinifera ***Linn.***

In usum pharmaceuticum veniunt:

Vinum generosum album,
Vinum generosum rubrum,
Vinum Xerense.

Vinum aromaticum.

Aromatischer Wein.

R. **Specierum aromaticarum** *partes duas.* . . . . . 2.
Superfusae
Aquae vulnerariae spirituosae *partibus quinque,* 5.
Vini generosi rubri *partibus sedecim* . . . . . . 16.
macerentur per octo dies, tum exprimantur. Colatura filtretur.

Sit limpidum, coloris e rubro fusci.

Vinum camphoratum.

Kampferwein.

R. **Camphorae pulveratae,** . . . . 1.
Gummi Arabici subtiliter pulverati, singulorum *partem unam.* . . . . 1.
Conterendo exacte mixtis inter assiduam agitationem paullatim affunde
Vini generosi albi *partes quadraginta octo.* . . 48.

Sit liquor albide turbidus.

Vinum Chinae.

Chinawein.

R. **Corticis Chinae Calisayae** *partes quinque.* . . 5.
Superfusae
Vini generosi rubri *partibus centum* . . . . . . 100.
macerentur per octo dies, tum exprimantur. Colatura filtretur.

Sit coloris rubri, saporis amari.

Vinum Colchici.

Zeitlosensamenwein.

R. **Seminis Colchici grosso modo pulverati** *partem unam*. . . . . **1.**

Superfusa

Vini Xerensis *partibus decem* . . . . **10.**

maceretur per dies octo, tum exprimatur. Colatura filtretur.

Sit coloris e flavo fusci.

In vasis bene clausis **caute** servetur.

Vinum Ipecacuanhae.

Brechwurzelwein.

R. **Radicis Ipecacuanhae grosso modo pulveratae** *partem unam*. **1.**

Superfusa

Vini Xerensis *partibus decem* . . . . **10.**

maceretur per octo dies, tum exprimatur. Colatura filtretur.

Sit limpidum, coloris e flavo subfusci.

In vasis bene clausis **caute** servetur.

Vinum Pepsini.

Pepsinwein.

Vinum pepticum. Essentia Pepsini.

R. **Stomachum suis vel Abomasum tauri.**

Invertatur et a cruditatibus liberatum aqua frigida abluatur, tum mucum pepticum, membranam mucosam cultri ossei ope fortiter radendo, collige.

Muci collecti *partes centum* . . . . 100.
accurate commisce cum
Glycerini *partibus quinquaginta,* . . . . 50.
antea dilutis
Aquae destillatae *partibus quinquaginta.* . . . . . 50.
Mixturae in lagenam amplam immissae affunde
Vini generosi albi *partes mille,* . . . . 1000.
Acidi hydrochlorici *partes quinque* . . . . 5.
et fortiter agita. Deinde macera calore 20° non superante per dies tres et saepius agita, postremo filtra.

Sit liquor limpidus flavidus, saporis vinosi, paullum aciduli.

Vinum stibiatum.

Brechwein.

Vinum emeticum. Vinum Stibio-Kali tartarici.

R. **Tartari stibiati** *partem unam.* . . . . 1.
Solve in
Vini Xerensis *partibus ducentis et quinquaginta,* 250.
tum filtra.

Sit limpidum coloris e fusco flavi.

In vasis bene clausis **caute** servetur.

Zincum aceticum.

Essigsaures Zinkoxyd.

Crystalli coloris expertes, tabulaeformes, lamellares in aquae frigidae partibus tribus, in aquae fervidae sesqui parte et in spiritu solubiles; solutio paullum acida liquore

kali caustici praecipitatum album praebet, quod liquore kali caustici abundante solvitur, tum aqua hydrosulfurata denuo album dejicitur.

Solutio aquosa ammonio carbonico praecipitetur et praecipitatum ammonio carbonico abundante plane resolvatur, tum addita gutta acidi phosphorici ne turbetur.

Caute servetur.

Zincum chloratum.

Chlorzink.

Zincum muriaticum.

Pulvis albus, in aëre facile deliquescens, accensus liquescens et vaporibus albis avolans remanente residuo inter aestum flavescente, in aqua facile solubilis, liquorem paullum turbidum exhibens, qui acido hydrochlorico addito limpidus fit, spiritu autem ne turbetur. Signa omnia puritatis sunt eadem quae in zinco sulfurico.

In vase bene clauso **caute** servetur.

Zincum ferrocyanatum.

Ferrocyanzink.

R. **Kalii ferrocyanati** *partes sex*. . . . . **6.**
Solutae in
Aquae destillatae *partibus sexaginta* . . . . . . **60.**
paullatim addantur liquori parato e
Zinci sulfurici *partibus octo*, ... **8.**
Aquae destillatae *partibus centum octoginta*. . . **180.**

Tum mixturam sepone loco tepido, donec liquor praecipitato effecto supernatans adhuc tantum opalescens appareat. Hic liquor in filtrum defundatur et defluens in filtrum iterum ac saepius refundatur, donec plane limpidus defluat. Illud praecipitatum tum eidem filtro immittatur et aqua destillata perfecte elotum leni calore siccetur.

Sit pulvis albus, in aqua, liquore ammonii caustici et acidis dilutis non solubilis; aestu residuum reactionis alkalinae relinquat, quod acido hydrochlorico solutum addito kalio ferrocyanato praecipitatum caeruleum demittat.

In vase bene clauso servetur.

Zincum lacticum.

Milchsaures Zinkoxyd.

Crystalli albae nitidae aciculares, vel crustae crystallinae albae, vel pulvis albissimus, in aquae frigidae partibus sexaginta, in aquae fervidae partibus sex solubilis, in spiritu non solubilis.

Acido sulfurico concentrato superfusum ne nigrescat. Aquae partibus sexaginta leni calore adhibito plane solvatur, quae solutio saporis aciduli adstringentis, neutiquam amari, chartam exploratoriam rubefaciat, aqua hydrosulfurata addita praecipitatum album demittat, baryo chlorato autem, argento nitrico, plumbo acetico minime turbetur. Illa solutio ammonio carbonico ad-

mixto praecipitatum album praebeat, quod ammonio carbonico superabundante resolvatur, tum addito natro phosphorico ne turbetur, sed limpida permaneat.

In vase clauso **caute** servetur.

Zincum oxydatum purum.

Reines Zinkoxyd.

Pulvis tenerior albus, in aestu flavidus.

Cum aqua conquassatum praebeat filtratum, quod ne baryo chlorato neve argento nitrico turbetur, neve post evaporationem residuum relinquat. Acido acetico sine effervescentia solvatur, quae solutio liquore ammonii caustici praevalente ne turbetur, sed addita aqua hydrosulfurata praecipitatum album, acido hydrochlorico solubile, demittat.

In vasis bene clausis servetur.

Zincum oxydatum venale.

Käufliches Zinkoxyd.

Zinkweiss. Flores Zinci.

Pulvis albus, accensus flavescens, in acido acetico facile et plane solubilis.

Acido quovis diluto solutum liquore kali caustici addito praecipitatum album demittat, quod liquore kali caustici superabundante plane resolvatur.

Nonnisi ad zinci unguentum et alia praeparata paranda adhibeatur.

In vasis bene clausis servetur.

Zincum sulfocarbolicum.

Carbolschwefelsaures Zinkoxyd.

Phenylschwefelsaures Zinkoxyd. Zincum sulfophenylicum.

Crystalli columellares rhombicae, pellucidae, coloris expertes, acidum carbolicum paullulum redolentes vel odoris nullius, in aqua et in spiritu facile et perfecte solubiles.

In aqua solutum addito ammonio sulfurato praecipitatum demittat, et addito ammonio sulfurato superabundante praebeat filtratum, quod evaporatum relinquat residuum calore fortiore plane avolans. Solutio aquosa additis liquoris ferri sesquichlorati guttis nonnullis colorem violaceum induat. *Centum partes* contineant zinci oxydati circiter *partes quindecim.*

In vasis bene clausis **caute** servetur.

Zincum sulfuricum.

Schwefelsaures Zinkoxyd.

Reiner weisser Vitriol. Vitriolum album purum.

Crystalli coloris et odoris expertes, plerumque prismaticae, in aëre sicco lente fatiscentes, in aquae aequali pondere solubiles, in spiritu vix solubiles.

Solutio aquosa liquore ammonii caustici addito praecipitatum praebeat, quod liquore ammonii caustici abundante perfecte resolvatur et aqua hydrosulfurata superfusum colorem ne induat.

In vasis bene clausis **caute** servetur.

Zincum valerianicum.

Baldriansaures Zinkoxyd.

Crystalli parvae albae, nitoris margaritacei, tactu fere pingues, acidum valerianicum redolentes, in aquae frigidae partibus nonaginta, in aquae fervidae minore copia, nec non in spiritu solubiles.

Aqua et nonnullis acidi hydrochlorici guttis superfusum acidum valerianicum secernat. In liquore ammonii caustici excedente sit plane solubile, quae solutio ne calcio chlorato neve natro phosphorico mutetur.

Partes centum zinci valerianici prope *partes triginta* zinci oxydati contineant.

In vase bene clauso caute servetur.

REAGENTIA.

Acidum aceticum dilutum.

Acidum hydrochloricum.

Acidum nitricum.

Acidum oxalicum, aquae destillatae partibus viginti solutum.

Acidum sulfuricum.

Acidum sulfuricum dilutum.

Acidum tannicum, aquae destillatae partibus novem et spiritus parte una solutum.

Acidum tartaricum, aquae destillatae partibus quinque solvatur, si poscitur.

Aether.

Ammonium carbonicum, aquae destillatae partibus quinque solutum.

Ammonium chloratum, aquae destillatae partibus decem solutum.

Ammonium oxalicum, aquae destillatae partibus viginti solutum.

Amylum.

Aqua bromata; bromum aquae destillatae partibus quadraginta solutum.

Aqua Calcariae.

Aqua chlorata.

Aqua hydrosulfurata.

Argentum nitricum, aquae destillatae partibus viginti solutum.

Argentum sulfuricum, aquae destillatae partibus centum solutum.

Baryum chloratum, aquae destillatae partibus decem solutum.

Baryta nitrica, aquae destillatae partibus viginti soluta.

Benzolum.

Calcaria sulfurica in solutione aquosa quam maxime saturata.

Carboneum sulfuratum.

Charta exploratoria caerulea.

Charta exploratoria lutea.

Charta exploratoria rubra.

Chloroformium.

Cuprum metallicum.

Cuprum sulfuricum, aquae destillatae partibus decem solutum.

Ferrum sulfuricum crystallisatum, spiritu praecipitatum.

Ferrum sulfuratum.

Hydrargyrum bichloratum, aquae destillatae partibus viginti solutum.

Kali aceticum, aquae destillatae partibus quinque solutum.

Kali bichromicum, aquae destillatae partibus decem solutum.

Kali hypermanganicum, aquae destillatae partium decem millibus solutum.

Kali sulfuricum, aquae destillatae partibus quindecim solutum.

Kalium ferricyanatum, aquae destillatae partibus decem solvatur, si poscitur.

Kalium ferrocyanatum, aquae destillatae partibus decem solutum.

Kalium iodatum, aquae destillatae partibus viginti solutum.

Kalium sulfocyanatum, aquae destillatae partibus viginti solutum.

Liquor Ammonii caustici.

Liquor Ammonii sulfurati.

Liquor Ferri sesquichlorati, aquae destillatae partibus quinque dilutus.

Liquor Natri caustici, aquae destillatae partibus duabus dilutus.

Magnesia sulfurica, aquae destillatae partibus decem soluta.

Natrum carbonicum, aquae destillatae partibus decem solutum.

Natrum phosphoricum, aquae destillatae partibus decem solutum.

Natrum subsulfurosum, aquae destillatae partibus decem solutum.

Platinum bichloratum, aquae destillatae partibus viginti solutum.

Plumbum aceticum, aquae destillatae partibus decem solutum.

Solutio Indici.

Spiritus.

Spiritus absolutus.

Stannum chloratum, decem partibus aquae destillatae, cui acidi hydrochlorici parva copia admixta est, solutum.

Tinctura Iodi.

Zincum metallicum purissimum.

TABULA A.

Exhibens doses medicamentorum maximas in usum adulti, ultra quas medicus ne praescribat ad usum internum nisi addito signo !

	Grammata Pro dosi.	Grammata Pro die.
Acidum arsenicosum	0,005	0,01
Acidum carbolicum cryst.	0,05	0,15
Aconitinum	0,004	0,03
Aqua Amygdalarum amararum	2,0	7,0
Aqua Lauro-Cerasi	2,0	7,0
Argentum nitricum	0,03	0,2
Atropinum	0,001	0,003
Atropinum sulfuricum	0,001	0,003
Auro-Natrium chloratum	0,06	0.2
Baryum chloratum	0,12	1,5
Cantharides	0,05	0,15
Codeinum	0,05	0,1
Coniinum	0,001	0,003
Cuprum sulfuricum	0,1	0,4
Cuprum sulfuricum pro emetico refracta dosi	1,0	—
Cuprum sulfuricum ammoniatum	0,1	0,4
Extractum Aconiti	0,025	0,1
Extractum Belladonnae	0,1	0,4
Extractum Cannabis Indicae	0,1	0,3
Extractum Colocynthidis	0,06	0,4
Extractum Conii	0,18	0,6
Extractum Digitalis	0,2	0.8
Extractum Fabae Calabaricae	0,02	0,06
Extractum Hyoscyami	0.2	1,0
Extractum Lactucae	0,6	2,5

	Grammata Pro dosi.	Grammata Pro die.
Extractum Opii	0,1	0,4
Extractum Pulsatillae	0,2	1,0
Extractum Sabinae	0,2	1,0
Extractum Stramonii	0,1	0,4
Extractum Strychni aquosum	0,2	0,6
Extractum Strychni spirituosum	0,05	0,15
Folia Belladonnae	0,2	0,6
Folia Digitalis	0,3	1,0
Folia Hyoscyami	0,3	1,0
Folia Stramonii	0,25	1,0
Folia Toxicodendri	0,4	1,2
Fructus Colocynthidis praeparati	0,3	1,0
Fructus Sabadillae	0,25	1,0
Gutti	0,3	1,0
Herba Conii	0,3	2,0
Hydrargyrum bichloratum corrosivum	0,03	0,1
Hydrargyrum biiodatum rubrum	0,03	0,1
Hydrargyrum iodatum flavum	0,06	0,4
Hydrargyrum nitricum oxydulatum	0,015	0,06
Hydrargyrum oxydatum rubrum	0,03	0,1
Kreosotum	0,05	0,2
Lactucarium	0,3	1,2
Liquor Hydrargyri nitrici oxydulati	0,1	0,5
Liquor Kali arsenicosi	0,4	2,0
Morphinum	0,03	0,12
Morphinum aceticum	0,03	0,12
Morphinum hydrochloricum	0,03	0,12
Morphinum sulfuricum	0,03	0,12
Oleum Crotonis	0,06	0,3
Opium	0,15	0,5
Phosphorus	0,015	0,06
Plumbum aceticum	0,06	0,4
Radix Belladonnae	0,1	0,4
Radix Hellebori viridis	0,3	1,2
Rhizoma Veratri	0,3	1,2

	Grammata Pro dosi.	Grammata Pro die.
Santoninum	0,1	0,5
Semen Strychni	0,1	0,3
Strychninum	0,01	0,03
Strychninum nitricum	0,01	0,03
Tartarus stibiatus	0,2	1,0
Tinctura Aconiti	1,0	4,0
Tinctura Belladonnae	1,0	4,0
Tinctura Cantharidum	0,5	1,5
Tinctura Colchici	2,0	6,0
Tinctura Colocynthidis	1,0	3,0
Tinctura Digitalis	2,0	6,0
Tinctura Digitalis aetherea	1,0	3,0
Tinctura Iodi	0,3	1,2
Tinctura Opii crocata	1,5	5,0
Tinctura Opii simplex	1,5	5,0
Tinctura Stramonii	1,0	3,0
Tinctura Strychni	0,5	1,5
Tinctura Toxicodendri	1,0	3,0
Tubera Aconiti	0,15	0,6
Veratrinum	0,005	0,03
Vinum Colchici	2,0	6,0
Zincum chloratum	0,015	0,1
Zincum lacticum	0,06	0,3
Zincum sulfuricum	0,06	0,3
Zincum sulfuricum, pro emetico refracta dosi	1,2	—
Zincum valerianicum	0,06	0,3

TABULA B.

Medicamenta exhibens vulgo venena vocata, quae locis seclusis vel cautissime asservanda sunt.

Acidum arsenicosum.
Aconitinum.
Atropinum.
Atropinum sulfuricum.
Coniinum.
Hydrargyrum bichloratum corrosivum.
Hydrargyrum biiodatum rubrum.
Hydrargyrum iodatum flavum.
Hydrargyrum nitricum oxydulatum.
Hydrargyrum oxydatum rubrum.
Hydrargyrum praecipitatum album
Liquor Hydrargyri nitrici oxydulati.
Liquor Kali arsenicosi.
Phosphorus.
Pulvis arsenicalis Cosmi.
Strychninum.
Strychninum nitricum.
Veratrinum.

Alia medicamenta in officinis pharmaceuticis occurrentia, quae eandem fere vim habent, quam quae venena supra dicta sunt, non minus iisdem locis seclusis secundum legem de asservandis venenis datam servanda sunt.

TABULA C.

Medicamenta sistens a reliquis separanda vel caute servanda.

Acetum Colchici.
Acetum Digitalis.
Acidum carbolicum crystallisatum.
Acidum chromicum.
Acidum hydrochloricum.
Acidum hydrochloricum crudum.
Acidum nitricum.
Acidum nitricum crudum.
Acidum nitricum fumans.
Acidum sulfuricum.
Acidum sulfuricum crudum.
Acidum sulfuricum fumans.
Aerugo.
Aqua Amygdalarum amararum.
Aqua Lauro-Cerasi.
Argentum nitricum crystallisatum.
Argentum nitricum fusum.
Argentum nitricum fusum cum Kali nitrico.
Auro-Natrium chloratum.
Bromum.
Cadmium sulfuricum.
Cantharides.
Cerussa.

Chloroformium.
Codeinum.
Cuprum aceticum.
Cuprum aluminatum.
Cuprum oxydatum.
Cuprum sulfuricum ammoniatum.
Cuprum sulfuricum crudum.
Cuprum sulfuricum purum.
Euphorbium.
Extractum Aconiti.
Extractum Belladonnae.
Extractum Cannabis Indicae.
Extractum Colocynthidis.
Extractum Colocynthidis compositum.
Extractum Conii.
Extractum Digitalis.
Extractum Fabae Calabaricae.
Extractum Gratiolae.
Extractum Hyoscyami.
Extractum Lactucae.
Extractum Mezerei.
Extractum Opii.
Extractum Pulsatillae.
Extractum Sabinae.
Extractum Stramonii.
Extractum Strychni aquosum.
Extractum Strychni spirituosum.
Faba Calabarica.
Ferrum iodatum saccharatum.
Folia Belladonnae.

Folia Digitalis.
Folia Hyoscyami.
Folia Stramonii.
Folia Toxicodendri.
Fructus Colocynthidis.
Fructus Colocynthidis praeparati.
Fructus Sabadillae.
Gutti.
Herba Conii.
Herba Gratiolae.
Hydrargyrum chloratum mite.
Iodoformium.
Iodum.
Kali causticum fusum.
Kreosotum.
Lactucarium.
Liquor Kali caustici.
Liquor Natri caustici.
Liquor Plumbi subacetici.
Liquor Stibii chlorati.
Lithargyrum.
Morphinum.
Morphinum aceticum.
Morphinum hydrochloricum.
Morphinum sulfuricum.
Natrum santonicum.
Oleum Crotonis.
Oleum Sabinae.
Oleum Sinapis.
Opium.

Plumbum aceticum.
Plumbum iodatum.
Pulvis Ipecacuanhae opiatus.
Radix Belladonnae.
Radix Hellebori viridis.
Radix Ipecacuanhae.
Resina Jalapae.
Resina Scammoniae.
Rhizoma Veratri.
Santoninum.
Semen Colchici.
Semen Hyoscyami.
Semen Stramonii.
Semen Strychni.
Spiritus Sinapis.
Sulfur iodatum.
Summitates Sabinae.
Tartarus stibiatus.
Tinctura Aconiti.
Tinctura Belladonnae.
Tinctura Cannabis Indicae.
Tinctura Cantharidum.
Tinctura Capsici.
Tinctura Colchici.
Tinctura Colocynthidis.
Tinctura Digitalis.
Tinctura Digitalis aetherea.
Tinctura Euphorbii.
Tinctura Hellebori viridis.
Tinctura Iodi.

Tinctura Iodi decolorata.
Tinctura Ipecacuanhae.
Tinctura Opii benzoïca.
Tinctura Opii crocata.
Tinctura Opii simplex.
Tinctura Resinae Jalapae.
Tinctura Stramonii.
Tinctura Strychni.
Tinctura Strychni aetherea.
Tinctura Toxicodendri.
Tubera Aconiti.
Tubera Jalapae.
Vinum Colchici.
Vinum Ipecacuanhae.
Vinum stibiatum.
Zincum aceticum.
Zincum chloratum.
Zincum lacticum.
Zincum sulfocarbolicum.
Zincum sulfuricum.
Zincum valerianicum.

Alia medicamenta in officinis pharmaceuticis occurrentia, quae eandem fere vim habent quam medicamina supra enumerata, non minus a reliquis separanda et locis in tabula C. commemoratis servanda sunt.

Pondera specifica

medicaminum liquidorum, quae in inspectionibus officinarum explorandа sunt, calore + 15°.

Acidum aceticum dilutum	1,040
Acidum hydrochloricum purum	1,124
Acidum nitricum purum	1,185
Acidum phosphoricum	1,120
Acidum sulfuricum	1,840
Acidum sulfuricum dilutum	1,113—1,117
Aether	0,728
Aether aceticus	0,900—0,904
Chloroformium	1,492—1,496
Glycerinum	1,230—1,250
Liquor Ammonii acetici	1,028—1,032
Liquor Ammonii caustici	0,960
Liquor Ammonii succinici	1,050—1,054
Liquor Ferri acetici	1,134—1,138
Liquor Ferri sesquichlorati	1,480—1,484
Liquor Ferri sulfurici oxydati	1,317—1,319
Liquor Kali acetici	1,176—1,180
Liquor Plumbi subacetici	1,235—1,240
Liquor Stibii chlorati	1,340—1,360
Mixtura sulfurica acida	0,998—1,002
Spiritus	0,830—0,834
Spiritus aethereus	0,808—0,812
Spiritus Aetheris chlorati	0,838—0,842
Spiritus Aetheris nitrosi	0,840—0,850
Spiritus dilutus	0,892—0,893
Tinctura Opii simplex	0,978—0,982

Tabula comparativa,

indicans tam pondus quam mensuram alcoholis anhydri contenti in centum partibus spiritus ponderis specifici designati.

pondus spec. 15° C.	mensurae partes 100 continent: alcohol.	aquae	ponderis partes 100 continent alcoholis.	pondus spec. 15° C.	mensurae partes 100 continent: alcohol.	aquae	ponderis partes 100 continent alcoholis.
1,0000	0	100	0	0,9700	26	76,33	21,31
0,9985	1	99,05	0,80	0,9690	27	75,43	22,16
0,9970	2	98,11	1,60	0,9679	28	74,53	23,00
0,9956	3	97,17	2,40	0,9668	29	73,62	23,85
0,9942	4	96,24	3,20	0,9657	30	72,72	24,70
0,9928	5	95,30	4,00	0,9645	31	71,80	25,56
0,9915	6	94,38	4,81	0,9633	32	70,89	26,41
0,9902	7	93,45	5,62	0,9620	33	69,96	27,27
0,9890	8	92,54	6,43	0,9607	34	69,04	28,14
0,9878	9	91,62	7,24	0,9595	35	68,12	29,01
0,9867	10	90,72	8,06	0,9582	36	67,20	29,88
0,9855	11	89,80	8,87	0,9568	37	66,26	30,75
0,9844	12	88,90	9,69	0,9553	38	65,32	31,63
0,9833	13	88,00	10,51	0,9538	39	64,37	32,52
0,9822	14	87,09	11,33	0,9522	40	63,42	33,40
0,9812	15	86,19	12,15	0,9506	41	62,46	34,30
0,9801	16	85,29	12,98	0,9490	42	61,50	35,18
0,9791	17	84,39	13,80	0,9473	43	60,58	36,09
0,9781	18	83,50	14,63	0,9456	44	59,54	37,00
0,9771	19	82,60	15,46	0,9439	45	58,61	37,90
0,9761	20	81,71	16,29	0,9421	46	57,64	38,82
0,9751	21	80,81	17,12	0,9403	47	56,66	39,74
0,9741	22	79,92	17,96	0,9385	48	55,68	40,66
0,9731	23	79,09	18,79	0,9366	49	54,70	41,59
0,9721	24	78,13	19,63	0,9348	50	53,72	42,53
0,9711	25	77,23	20,47	0,9328	51	52,73	43,47

pondus spec. 15° C.	mensurae partes 100 continent alcohol.	mensurae partes 100 continent aquae	ponderis partes 100 continent alcoholis.	pondus spec. 15° C.	mensurae partes 100 continent alcohol.	mensurae partes 100 continent aquae	ponderis partes 100 continent alcoholis.
0,9308	52	51,74	44,41	0,8725	77	26,03	70,16
0,9288	53	50,74	45,37	0,8698	78	24,96	71,30
0,9267	54	49,74	46,33	0,8671	79	23,90	72,43
0,9247	55	48,74	47,29	0,8644	80	22,83	73,59
0,9226	56	47,73	48,26	0,8616	81	21,76	74,75
0,9205	57	46,73	49,24	0,8588	82	20,68	75,91
0,9183	58	45,72	50,21	0,8559	83	19,61	77,09
0,9161	59	44,70	51,20	0,8530	84	18,52	78,29
0,9139	60	43,68	52,20	0,8500	85	17,42	79,51
0,9117	61	42,67	53,19	0,8470	86	16,32	80,72
0,9095	62	41,65	54,20	0,8440	87	15,23	81,96
0,9072	63	40,63	55,21	0,8409	88	14,12	83,22
0,9049	64	39,60	56,23	0,8377	89	13,01	84,47
0,9026	65	38,58	57,25	0,8344	90	11,88	85,74
0,9002	66	37,54	58,29	0,8311	91	10,76	87,04
0,8978	67	36,51	59,33	0,8277	92	9,62	88,37
0,8954	68	35,47	60,38	0,8242	93	8,48	89,72
0,8930	69	34,44	61,43	0,8206	94	7,32	91,08
0,8905	70	33,39	62,50	0,8169	95	6,16	92,45
0,8880	71	32,35	63,58	0,8130	96	4,97	93,89
0,8855	72	31,30	64,64	0,8089	97	3,77	95,35
0,8830	73	30,26	65,72	0,8046	98	2,54	96,83
0,8804	74	29,20	66,82	0,8000	99	1,28	98,38
0,8778	75	28,15	67,93	0,7951	100	0,00	100,00
0,8752	76	27,09	69,04				

INDEX

Nominum Germanicorum.

Index
Nominum et Synonymorum.

A.

G.

Berolini, typis W. Büxenstein.